MUSÆ ANGLICANÆ:

SIVE

POEMATA quædam melioris notæ,
ſeu hactenus Inedita, ſeu ſparſim Edita,
in duo Volumina congeſta.

VOLUMEN SECUNDUM.

EDITIO QUINTA.



LONDINI:

Ex Officinâ J. & R. TONSON, & J. WATTS.

MDCCXLI.

Leonard Hotchkis A.M

AD
LECTOREM.

ALTERUM habes, Erudite Lector, MUSARUM ANGLICANARUM *Volumen:* & illud quidem genuinum, & Autorum permiſſu impreſſum: Quorum Unus & Alter ſua ipſorum Poëmata, inter excudendum, propriis oculis ſubjicienda curârunt, quo nempe limatiora in lucem jam iteratò prodirent. Cætera item perpolita jam & abſoluta Tibi non diſplicere confidimus, quæ inchoata tantùm & minùs culta humaniter olim acceperis.

De Autoribus noſtris multa præfari ſupervacaneum ducimus. Defunctorum gloria ſupra invidiam poſita eſt; quam à viventibus amoliri Verſus nequeunt vel accuratiſſimi. Tecum modò cogites, quàm caſtigata *Whit-*

feldi Poëmata, ipſo ſuperſtite, in publicum prodiiſſent, quæ, poſthuma licèt, & ab adoleſcente conſcripta, tam eximiè eluceſcunt.

Nullarum denique Partium ſtudio addicti Delectum hunc confecimus; de Carminis elegantiâ potius quàm argumento ſoliciti. Facilè autem advertes, Illum plura excitâſſe Poëtarum ingenia, qui ampliorem præbuit Poëtis materiem. Nec iſtud Tibi ingratum fore ſperamus, *Noſtrum* nuper GULIELMUM tot laudis ſuæ præcones habuiſſe; niſi forſan ægrè tuleris, Vatem tantæ virtuti celebrandæ non inveniri parem.

TABULA

TABULA

Indicans Lemmata unà cum Paginis Autorumque Nominibus, quorum nonnulla ſuis locis deſiderantur.

Quæ Aſteriſco diſtinguuntur, huic Editioni acceſſerunt nova.

PAX, *Gulielmi Auſpiciis, Europæ reddita*, 1697. *J. Addiſon, A. M. Coll. Magd. Soc.* Pag. 1

In Exoptatum Gulielmi Regis ex Hiberniâ Reditum, 1690. *Edv. Hannes, A. M. ex Æde Chr. & Prof. Chym.* p. 8

Paſſer. T. S. Ædis Chr. Alumnus. p. 11

Arauſio Recepta. Ric. Mariet, ex Æde Chr. Superioris Ordinis Commenſalis. p. 12

Adminiſtratio Mariæ. D. Ric. Vernon, Baronett. ex Æde Chr. p. 14

Inauguratio Regis Gulielmi III. Henricus Aldrich. S. T. P. Eccleſ. Chr. Decanus. p. 18

Barometri Deſcriptio. Jo. Addiſon, A. B. è Coll. Magd. p. 20

Dux Gloceſtrenſis, 1697. *Tho. Jones, è Coll. Magd. Superioris Ordinis Commenſalis.* p. 23

Inauguratio Regis Gulielmi & Reginæ Mariæ. Th. Newey Ædis Ch. Alumnus. p. 26

ΠΥΓΜΑΙΟ-ΓΕΡΑΝΟΜΑΧΙΑ, *ſive Prælium inter Pygmæos & Grues commiſſum. Jo. Addiſon. è Coll. Magd.* p. 29

In

TABULA.

In Obitum Augustissimi & Desideratissimi Regis Caroli II. Jacobus Harrington, Ædis Chr. Alumn. p. 34

In Funus Viri Clarissimi Jacobi Harrington, Egregii Poëtæ, & Jurisconsulti Peritissimi. G. Adams, Ædis Chr. Alumn. p. 37

Taurus in Circo. Fr. Knap, è Coll. Magd. p. 39

Pugna Gallorum Gallinaceorum. J. Freind, Ædis Chr. Alumn. p. 42

Givetta Ardens. Honorat. Car. Bertie, Honorat. Rich. Stewart, Steph. Lennard, ex Æde Chr. p. 46

In Natalem Principis Walliæ. Excerpt. ex Strenis Natalitiis Acad. Oxon. è Theatro 1688. *Vincentius Corbet Baronett. ex Æde Chr.* p. 52

In Natalem Principis Walliæ. Excerpt. ex Strenis Natalitiis Acad. Oxon. è Theatro 1688. *Geo. Dixon, Ædis Chr. Superioris Ordinis Commens.* p. 54

Jus Pilei Oxoniensis. G. Adams, Ædis Chr. Alumnus. p. 56

Desiderium Gulielmi. Horatius, Virgilius, Fannius. Geo. Duncomb, Tho. Ingram, Tho. Bennet, Arm. ex Æde Chr. p. 63

In Paludes ab Ormondo Duce siccatas, & Indigenas inde depulsos. Fr. Hickman, Ædis Chr. Alumn. p. 69

Prælium Navale. Hugo Parker, Arm. è Coll. Magd. p. 73

Britannia. Sam. Lennard, Equ. Aur. ex Æde Chr. p. 76

* *Nundinæ Sturbrigienses. Th. Hill, Coll. Trin. Cant. Soc.* p. 79

Pugna Boyniaca, Anno 1690. *W. Percivale, Ædis Chr. Alumn.* p. 89

Descriptio Spectaculi, quod exhibet Templum Harlemianum Steph. Clay, Coll. Magd. Dem. p. 93

Resurrectio Delineata ad Altare Coll. Magd. Oxon. Jo. Addison, è Coll. Magd. p. 97

Decretum Oxoniense, Anno 1683. *ex Æde Chr.* p. 99

Hircocervus. Ant. Alsop, Ædis Chr. Alumn. p. 101

* *Muscipula*

TABULA.

Muſcipula. E. Holdſworth, è Coll. Magd. Oxon. p. 106

In Hiſtoriam Nativitatis Delineatam in Feneſtrâ Orientali Eccleſ. Cathedr. Chriſti Oxon. ex Munificentiâ Rev. D. Petri Birch, S. T. D. Eccleſ. Weſtmonaſt. Præbend. P. Foulkes, Ædis Chr. Alumn. p. 114

ΞΕΑΗ'ΜΕΡΟΝ. —— *Cantabr.* p. 119

Sphæriſterium. J. Addiſon, è Coll. Magd. p. 122

Archimimus; Anglicè, Clench of Barnet. C. H. Coll. Jeſu Cantabr. p. 124

Gloriæ Vis; ſive Certamen Navale inter ----- Harmannum Anglum & Præfectum quendam Belgicum, Honoris ergô, commiſſum. Phil. Fell, Omn. Anim. Soc. p. 127

Ad D. D. Hannes Inſigniſſimum Medicum & Poëtam. Jo. Addiſon, è Coll. Magd. p. 134

Jacobus II. —— Recitavit in Theatro Apr. 13. 1685. —— *ex Æde Chr.* p. 136

Carmen Cornu Venatico Inſcriptum, —— ex Æde Chr. p. 142

Carmen Poëmat. Oxon. in Obitum Auguſtiſſimæ & Deſideratiſſimæ Reginæ Mariæ Secundæ inſcriptum. —— ex Æde Chr. p. 143

Exequiæ Dolbenianæ: ſive Ecloga in Obitum Reverendiſſimi in Chriſto Patris Johannis Dolben, Archiepiſc. Eboracenſis. Sam. Jones, Tho. Cheſter, Armig. è Coll. Mert. p. 144

Scholæ Weſtmonaſterienſis Deſcriptio: ad Reverend. in Chr. Patrem & Dominum Thomam Epiſc. Roffenſem, & Eccleſ. Colleg. Weſtmonaſt. Decanum. — Scholæ Weſtmonaſt. Alumnus. p. 149.

Carmen in Obitum Auguſtiſſimæ & Deſideratiſſimæ Reginæ Mariæ, Anno 1695. *Henr. Sacheverell, A. M. è Coll. Magd.* p. 153

Machinæ Geſticulantes, Anglicè, A Puppet-Show. Jo. Addiſon è Coll. Magd. p. 157

Neptuni Vindicta: ſive Inedia Undecim Dierum. Phil. Fell, Omn. Anim. Soc. p. 160

Fraus

TABULA.

Fraus Nummi Anglicani, Anno 1696. *Jo. Trapp, è Coll. Wadh.* p. 166

In Obitum Reginæ Mariæ. G. Adams, Ædis Chr. Alumnus. p. 169

* *Non dantur Ideæ Innatæ. Cantabr. in Com. Post.* 1707. p. 172

Memoriæ Beatissimi Patris Joh. Fell, olim Episc. Oxon. & Ædis Chr. Decani,---- Cùm ipsi Monumentum ponerctur.---- Ex Æde Chr. p. 173

In Obitum Reginæ Mariæ, Anno 1695. *Ant. Alsop, A. B. Ædis Chr. Alumn.* p. 177

* *Rationes Boni & Mali sunt Æternæ & Immutabiles. Cantabr. in Com. Pr.* 1706-7. p. 180

In Novum Hospitium, Chelseani prorsus æmulum, ad Occidentalem Dublinii Plagam feliciter exstructum. Jo. Whitfeld, è Coll. Mert. p. 183

* *Tubus Torricellianus. Cantabr. in Com. Pr.* 1710-11. p. 186

Ad Insignissimum Virum D. Tho. Burnettum, sacræ Theoriæ Telluris Autorem. Jo. Addison, A. B. è Coll. Magd. p. 190

In Juvenem Nobilem Sidneium, Caroli Montacuti Fratrem, occisum à Batavis in Navali Prælio, Anno 1672, p. 193

* *Fluxus & Refluxus Maris pendent ab Actionibus Solis & Lunæ. Cantabr. in Com. Pr.* 1719-20. p. 194

In Obitum Rev. Viri Edv. Pocockii S. T. P. Ædis Chr. Canon. & Ling. Oriental. Prof. Reg. E. Smith, Ædis Chr. Alumn. p. 196

* *Camera Obscura. Cantabr. in Com. Post.* 1720. p. 199

* *Atrium Peckwaterienſe. Th. Bromley. Ædis Chr. Alumn.* p. 202

* *Laterna Megalographica. Cantabr. in Com. Prioribus,* 1720-21. p. 205

* *Sonus propagatur per Aërem. Cantabr. in Com. Post.* 1721. p. 208

* *Syſtema*

TABULA.

* *Syſtema Copernicanum. Cantabr. in Com. Pr.* 1721-2. p. 210
* *Phænomena Microſcopiorum ſolvi poſſunt ex Principiis Opticis. Cantabr. in Com. Poſt.* 1723. p. 213
* *Aurora Borealis. Cantabr. in Com. Prioribus* 1726-7. p. 215
* *Actio datur in Diſtans. Cantabr. in Com. Pr.* 1727-8. p. 218
* *Vegetatio Haleſiana. C. C. Coll. Nov. Ox. Soc.* p. 221
* *De Veneno Tarantulæ per Muſicen ſanato rectè philoſophatur* Mædius. *Cantabr. in Com. Poſt.* 1728. p. 224
* *Probat Deum Structura Humani corporis. Cantabr. in Com. Pr.* 1728-9. p. 227
* *Haleſius rectè ſtatuit de Vegetatione. Cantabr. in Com. Pr.* 1728-9. p. 230
* *Dantur Ideæ Phantaſticæ. Cantabr. in Com. Poſterior.* 1729-30. p. 233
* *Humana Voluntas nec anxietate, nec ſupremo Intellectûs Judicio, nec alio quovis ab extra determinatur. Cantabr. in Veſp. Comit.* 1730. p. 236
* *Iridis Phænomena ſolvuntur ex diversâ Radiorum Refrangibilitate. Cantabr. in Veſp. Comit.* 1730. p. 239
* *Aſcenſus & Deſcenſus Mercurii in Barometro pendent ex gravitate Aëris & Vi ejus Elaſticâ.* p. 242
* *Idea Spiritûs non eſt æquè clara ac Idea Corporis. Cantabr. Jul.* 1730. *in die Comit.* p. 244
* *Ignis Fatuus. Cantabr. in Com. Pr.* 1730-1. p. 247
* *Hydraſpis. Cantabr. in Com. Pr.* 1731-2. p. 249
* *Comitia Academiæ Oxonienſis, reſtaurata Anno* 1732. p. 251
* *Rectè ſtatuit Woodwardus de Foſſilibus. Cantab. in Com. Pr.* 1733-4. p. 255
* *Rectè ſtatuit Raius de Vegetatione. Cantabr. in Com. Pr.* 1734-5. p. 259
* *Magnes. Cantabr. in Com. Poſt.* 1734-5. p. 262
* *Divina Bonitas demonſtrari poteſt à poſteriori. Cantabr. in Com. Pr.* 1735-6. p. 265

TABULA.

* *Bruta cogitant. Cantabr. in Com. Poſt.* 1736. p. 26
* *Rectè ſtatuit Newtonus de Luce & Coloribus.* p. 27
* *Origo mali Naturalis ſolvi poteſt ſalvis Dei Attributis. Cantabr. in Com. Pr.* 1738-9. p. 27
* *Judicium Paridis. G. M. Ædis Chr. Alumn.* p. 27
* *Datur Mundorum Pluralitas. Cantabr. in Com. Pr.* 1740-1. p. 28
* *Dantur Spectra. Cantabr. in Com. Poſt.* 1740-1. p. 28

Reſervantur (ſiquidem hæc Lectori arriſerint) tranſmiſſa ex utrâque Academiâ multa, in Tertium hujuſmodi Volumen concinnanda.

HONORATISSIMO VIRO

CAROLO MONTAGUE

ARMIGERO,

SCACCHARII CANCELLARIO,

ÆRARII PRÆFECTO,

REGI à SECRETIORIBUS CONSILIIS, *&c.*

CUM tanta auribus Tuis obſtrepat vatum nequiſſimorum turba, nihil eſt, cur queraris aliquid inuſitatum Tibi contigiſſe, ubi præclarum hoc argumentum meis etiam numeris violatum conſpexeris. Quantum virtute bellicâ præſtent Britanni, recens ex rebus geſtis teſtatur gloria; quàm verò in humanioribus Pacis ſtudiis non emineamus, indicio ſunt quos nuper in lucem emiſimus verſiculi. Quòd ſi CONGREVIUS ille Tuus divino, quo ſolet, furore correptus

correptus materiam hanc non exornâſſet, vix tanti eſſet ipſa Pax, ut illâ lætaremur tot perditiſſimis Poëtis tam miſerè decantatâ. At, dum alios inſector, meî ipſius oblitus fuiſſe videor, qui haud minores forſan ex Latinis Tibi moleſtias allaturus ſum, quàm quas illi ex vernaculis ſuis carminibus attulerunt; niſi quòd inter ipſos cruciatus lenimentum aliquod dolori tribuat tormenti varietas. Nec quidem unquam adduci poſſem, ut poëma patrio ſermone conſcriptum oculis Tuis ſubjicerem, qui ab iſtis conatibus cæteros omnes ſcribendo non minùs deterres, quàm favendo excitaveris.

HUMANITATIS TUÆ

CULTOR DEVOTISSIMUS,

JOSEPHUS ADDISON.

MUSÆ ANGLICANÆ.

Pax GULIELMI *Auſpiciis Europæ reddita*, 1697.

POSTQUAM ingens clamorque virûm,
ſtrepituſque tubarum,
Atque omnis belli cecidit fragor; Aſpice,
Cæſar,
Quæ tibi ſolliciti, turba importuna, Poëtæ
Munera deducunt: generoſæ à pectore flammæ,
Diræque armorum effigies, ſimulachraque belli
Triſtia diffugiant: O tandem abſiſte triumphis
Expletus, penituſque animo totum excute Martem.
NON ultrà ante oculos numeroſo milite campi
Miſcentur, ſolito nec fervent arva tumultu:
Stat circùm alta quies; curvoque innixus aratro
Deſertas foſſas, & caſtra minantia caſtris
Ruſticus invertit, tacitâ formidine luſtrans
Horroremque loci, & funeſtos ſtragibus agros.

Jamque ſuper vallum & munimina longa vireſcit
Expectata ſeges, jam propugnacula rident
Vere novo; inſuetos mirabitur incola culmos,
Luxuriemque ſoli, & turgentem à ſanguine meſſem.
ASPICIS, ut toto excitus venit Advena mundo
Bellorum inviſens ſedem, & confuſa ruinis
Oppida, & everſos flammarum turbine muros!
Ut trepidos rerum Annales, triſtemque laborum
Inquirit ſeriem, attonitis ut ſpectat ocellis
Semirutas turres, & adhuc polluta cruore
Flumina, famoſoſque ORMONDI vulnere campos!
HIC, ubi ſaxa jacent diſperſo infecta cerebro,
Atque interruptis hiſcunt divortia muris,
Vexillum intrepidus * fixit, cui tempora dudum
Budenſes palmæ, peregrinaque laurus obumbrat.
Ille ruens aciem in mediam, quà ferrea grando
Sparſa fuit circùm, & plumbi denſiſſimus imber,
Sulphuream noctem, tetraſque bitumine nubes
Ingreditur, crebroque rubentem fulgure fumum.
Ut vario anfractu, & disjectis undique ſaxis
Mœnia diſcedunt, ſcopuliſque immane minantur
Deſuper horrificis, & formidabile pendent!
HIC peſtem occultam, & fœcundas ſulphure moles
Cernere erat, magno quas inter mota tumultu
Prælia fervebant; ſubito cùm clauſtra fragore
Horrendùm diſrupta tonant, ſemiuſtaque membra,
Fumanteſque artus, laniataque corpora lethum
Corripit informe, & rotat ater in æthere turbo.
SIC, poſtquam Enceladi dejecit fulmine fratres

* Honoratiſſimus D. Dominus CUTTS Baro de Gowran, &c.

Cœlicolùm

Cœlicolûm Pater, & vetuit contemnere Divos:
Divulſam terræ faciem, ingenteſque ruinas
Mortales ſtupuêre; altum hinc mirantur abeſſe
Pelion, invertique imis radicibus Oſſam;
Hîc fluvium moles inter confuſaque ſaxa
Reptare, atque aliis diſcentem currere ripis.
Stant dubii, & notos montes umbraſque requirunt,
Errore ambiguo eluſi, & novitate locorum.
NEMPE hîc AURIACI nuper vexilla ſecutæ
Confluxêre acies, hîc, aſpera corda, Britanni,
Germanuſque ferox, & juncto fœdere Belga:
Quique truci Boreæ, & cœlo damnatus iniquo
Vitam agit in tenebris; & qui dudum ore peruſto
Decolor admoti prodit veſtigia Phœbi:
Undique conveniunt, totum conſcripta per orbem
Agmina, NASSOVIque latus ſocialibus armis
Circumfuſa tegunt, fremituſque & murmura miſcent,
Tam vario disjuncta ſitu, tot diſſona linguis.
TE tamen è mediis, * Ductor Fortiſſime, turmis
Exere; Tu vitam (ſi quid mea carmina poſſunt)
Accipies, populique encomia ſera futuri,
Quem varias edoctum artes, ſtudiiſque Minervæ
Omnibus ornatum Marti Rhedycina furenti
Credidit invita, & tanto ſe jactat Alumno.
Hunc nempe ardorem, atque immenſos pectoris æſtus
Non jubar Arctoum, aut noſtri penuria cœli,
Sed plaga torridior, quà Sol intentiùs omnes
Effundit radios, totique obnoxia Phœbo
India progenuit, teneriſque incoxit ab annis

* Intellig. Inſig. Dom. Chriſtoph. Codrington, unum ex Regii Satellitii Præfectis.

Virtutem immodicam, & generoſæ incendia mentis.
JAM quoque torpentem qui infelix ſuſpicit Arcton,
Brumamque æternam friguſque perambulat, urſæ
Horridus exuviis, GULIELMI ingentia facta
Deſcribit ſociis, pugnataque in ordine bella
Attentus numerat, neque brumam aut frigora curat:
En! vaſtos nivium tractus & pallida regna
Deſerit, imperio extremum * qui ſubjicit orbem,
Indigenaſque hyemes, Britonumque Heroa pererrat
Luminibus tacitis; ſubeunt nunc fuſa Namurcæ
Mœnia, nunc tardo quæ ſanguine plurima fluxit
Boinia, nunc dubii palma indiſcreta Seneffi.
Quæ facies & quanta viri! Quo vertice in auras
Aſſurgit! Quali firmat veſtigia greſſu,
Majeſtate rudi, & torvo ſpectabilis ore!
SIC olim Alcides, immania membra Leonis
Inſtratus ſpoliis, vaſtâ ſe mole ferebat,
Evandri amplexus dextramque adjungere dextræ
Cùm peteret, tectiſque ingens ſuccederet hoſpes.
DUM pugnas, GULIELME, tuas, campoſque cruentos
Accipit, in venis ebullit vividus humor,
Corda micant crebrò, & mentem ferit æmulus ardor.
Non jam Riphæos hoſtis populabitur agros
Impune, aut agitabit inultas Sarmata prædas.
QUIS tamen ille procul fremitus! quæ murmura vulgi
NASSOVUM ingeminant! video cava littora circùm
Fervere remigibus, ſubitiſque albeſcere velis.
Anglia, ſolve metus, & inanes mitte querelas,
NASSOVI ſecura tui; deſiſte tumentes
Proſpicere in fluctus animo ſuſpenſa, truceſque

* Muſcoviæ Imperator.

Objurgare

Objurgare notos, tardamque requirere puppim:
Optatus tibi Cæſar adeſt, nec ut antè videbis
Sollicitum belli ſtudiis, fatalia Gallo
Conſilia & tacitas verſantem in pectore pugnas.
Olli grata Quies & Pax tranquilla verendum
Compoſuit vultum, lætoſque afflavit honores.
UT denſo circùm ſe plurimus agmine miles
Agglomerat lateri! ut patriam vetereſque penates
Reſpicit exultans! juvat oſtentare recentes
Ore cicatrices, & vulnera cruda, notaſque
Mucronum inſignes, afflataque ſulphure membra.
Chara ſtupet conjux, reduciſque incerta mariti
Veſtigat faciem; trepidâ formidine proles
Stat procul, & patrios horreſcit neſcia vultus.
Ille graves caſus, duri & diſcrimina belli
Enumerat, tumidiſque inſtaurat prælia verbis.
Sic, poſtquam in patriam fœcunda heroibus Argo
Phryxêam attulerat pellem, lanamque rigentem
Expoſuit Graiis, & tortile velleris aurum,
Navita terrificis infamia littora monſtris
Deſcribit, mixto ſpirantem incendia fumo
Serpentem, vigileſque feras, plauſtroque gementes
Inſolito tauros, & anhelos igne juvencos.
TE tamen, o! quantis GULIELME erepte perić'lis,
Accipimus reducem: tibi Diva Britannia fundit
Plebemque & Proceres: medias quacunque per urbes
Ingrederis, crebræ conſurgunt undique pompæ,
Gaudiaque & plauſus: mixto ordine vulgus euntem
Circumſtat fremitu denſo: Tibi Jupiter annum
Seriùs invertit; luces mirata ſerenas
Ridet Hyems, feſtoque vacat cœlum omne triumpho.

JAMQUE * Nepos tibi parvus adeſt, lætoque juventæ
Inceſſu, & blando teſtatur gaudia riſu.
Ut Patrius vigor atque elati gratia vultûs
Cæſareum ſpirant, majeſtatemque verendam
Infundunt puero! ut Mater formoſa ſerenat
Auguſtam frontem, & ſublimia temperat ora!
Agnoſco faciem ambiguam, mixtoſque parentes.
Ille Tuas, GULIELME, acies, & triſtia bella,
Pugnaſque innocuâ dudum ſub imagine luſit.
Nunc indignanti ſimilis fugitiva puſillæ
Terga premit turmæ, & falſis terroribus implet,
Sternitque exiguum ficto cognomine Gallum.
Nunc ſimulat turres, & propugnacula parva
Nominibus ſignat variis; ſubitóque tumultu
Sedulus infirmas arces, humilemque Namurcam
Diruit; interea generoſæ in pectore flammæ
Aſſurgunt ſenſim juveni, notat ignis honeſtas
Purpureo fervore genas & amabilis horror.
QUIS tamen Auguſtæ immenſas in carmine pompas
Inſtruet, in luteos ubi vulgò effuſa canales
Vina rubent, variatque infectas purpura ſordes?
Quis lapſus referet ſtellarum, & fictile cœlum,
Quà laceram oſtendunt redolentia compita chartam,
Sulphuris exuvias, tubuloſque bitumine caſſos?
EN procul attonitam video clareſcere noctem
Fulgore inſolito! ruit undique lucidus imber,
Flagranteſque hyemes; crepitantia ſydera paſſim
Scintillant, totoque pluunt incendia cœlo.
Nec minùs in terris Vulcanus mille figuras
Induit, ignivomaſque feras, & fulgida monſtra,

* Celſiſſimus Princeps Dux Gloceſtrienſis.

Terribile

Terribiles viſu formas! hîc membra Leonis
Hiſpida mentitur, tortiſque comantia flammis
Colla quatit, rutilaſque jubas; hîc lubricus Anguem
Ludit, ſubſiliens, & multo ſibilat igne.

LÆTITIAM ingentem atque effuſa hæc gaudia civis
Jam tandem ſecurus agit, poſitoque timore
Exercet ventos, claſſemque per ultima mundi
Impune educit, pelagoque licentiùs errat:
Seu conſtricta gelu, mediiſque horrentia Cancri
Menſibus arva videt; ſeu turgida malit olenti
Tendere vela noto, quà thurea flamina miſcet
Æolus, & placidis perfundit odoribus auras.

VOS, animæ illuſtres heroum, umbræque recentes,
Quarum trunca jacent & adhuc ſtillantia crudis
Corpora vulneribus, quibus hæc optabilis orbi
Parta quies, nondum NASSOVO abducite veſtro
Fida ſatellitia; at ſolitis ſtipate catervis
Ductorem, & tenues circùm diffundite turmas.
Tuque MARIA, Tuos non unquam oblita Britannos,
O Diva, o patiens magnum expectare maritum,
Ne terris Dominum invideas, quanquam ampliùs Illum
Detineant, longamque agitent ſub Vindice pacem.

J. ADDISON, *A. M. Coll. Magd. Soc.*

In Exoptatum GULIELMI Regis ex Hiberniâ Reditum, 1690.

O D E.

O Fida Navis, quæ Dominum Anglicæ
Reponis oræ, læta tibi fluat
Fortuna ſemper, nec ſecundus
Deſtituat tua vela ventus,
Quocunque tendis; ſeu petis Indiam
Secura lucri, ſeu generoſior
Bellum in triremes Gallicanas
Non vacuâ meditaris irâ.
Scimus, beatam quantus ad inſulam
Accedat Hoſpes; ſcimus, ut impiam
Gentem fugârit, multa mœſto
Pollicitam meliùs JACOBO.
Quid ripa ſurgens, aut medius liquor
Contra Britannum robur, & agmina
Sequuta NASSAVUM, & juventam
Montiaci memorem triumphi
Juvare poſſet? Primus in obvios
Mirè efficacem exercet acinacem
Princeps, & inſignes & imos
Exitio premit æquus uno.
Qualem Poetæ, quos Epicus labor
Ævo Latino eduxit in æthera,
Ponunt vel Æneam, vel acrem
Hoſtibus in mediis Achillem;

Ad

Ad quos colores non ego ſurgere
Auſim canendo, cùm neque ſpiritus
Aſcendat æquus, nec modorum
Norma ſinat, tenuiſque verſus:
Talis Gatheli degenerem gregem
NASSAVUS urget. Non reducem pater,
Non ſperet uxor, ſi quis enſi
Fiſus in oppoſitum propinquat.
Ac forte quiſquam laudis amantior
Illum exequentem ſæva negotia
Tyro laceſſet, quem decorum
Multa domi generoſa virgo
Ardet viciſſim, quatenus æmulos
Omnes choreis & pede mobili
Excedit, aut aptè vocatâ
Ad citharam patriam camœnâ.
Eheu! nec illi fœmineus favor
Proſit, nec artes; quin miſer occubet,
Humique ſingultans amores
Dimidios aliis relinquat!
Sub Rege tali quid putet arduum
Britanna pubes? En, alacris tuba
Invitat! En, ſuſpenſa patrum
Arma tholo repetamus unco!
Juvabit arces ſcandere Gallicas,
Plaudente mundo, & proruere oppida,
Suumque Vulcanum in ſceleſtas
Ferre domos. Erit, ut colonus
Inducat Anglus curva Lutetiæ
Aratra ridens; tectaque regia
Lavertat; & feſſus ſub umbrâ
Egregiæ ſedeat ruinæ.

At tu remittas tempore postero,
Cæsar, dolosam pectus in aleam
Offerre pugnando; hoc Senatus,
Hoc humili rogat ore vulgus.
An non propinquas atra necessitas
Concussit alas, &, memori notâ,
Ne tu venires inter arma,
Admonuit, Jove sic jubente?
Aversus illi consilio senex,
Ubique partis clarus adoreis,
SCHOMBERGUS in turmam haud merentem,
Et medios properavit ignes;
Quem nunc ademptum exercitus anxio
Luctu requirit, non sine carmine
Heroa laudante, & severis
Invidiam faciente fatis:
Frustra; Nec horæ, quas fuga temporis
Avexit, optant ferre pedem retro;
Nec Mens ab exangui figurâ
Lapsa semel remeare curat:
Non si medentes, unde potest, aquas
Doctâ ministret RADCLIVIUS manu:
Non si DRYDENUS invidendo
Pulset ebur geniale plectro.

EDV. HANNES, *A. M. ex Æde Chr. & Prof. Chym.*

PASSER

PASSER.

FENDEFESSUM Animal, nullâque libidine victum,
Cui clunes Natura agiles, caudamque ſalacem,
Nec ſeſe æterno paſſam langueſcere motu
Indulſit, Quid tu, Paſſer, mortalibus ægris
Objicis abſumptas uno molimine vires,
Demiſſóſque animos, laſſos cum evanidus artus
Deſtituit vigor, & cœptæ fiducia pugnæ?
Quum ſe tota tuis abdit Cythereïa venis,
Laſcivoque omnes gremio inſpiravit amores,
Et dedit ipſa ſuas longè ſuperâſſe Columbas!
Nulla tibi Veneris ſubeunt faſtidia, nulla
Vel ſemel accenſo deſunt alimenta furori;
Sufficit ipſe ſibi, ſeſe depaſcitur ignis,
Seſe alit, & ſolo ſemper ſe fomite gaudet.
Ut memini voces læto clangore ſolutas,
Cùm patiens oneris ſternit tibi fœmina dorſum,
(Parva quidem, tali ſed non indigna marito)
Circuituque vago, placidéque ſtrepentibus alis
Sollicitare tuas viſa ad connubia flammas,
Suſcitat his furiis, facilemque accendit amantem.
Tunc tu, qui fuſus miſcetur corpore toto,
Extimulas genitalem ignem; fœcundaque virtus
Suggerit invictum robur; ſi victa fatiſcat
Pauliſper Venus, at renuis tibi longa quietis
Intervalla dari, primóſque recolligis æſtus,

Atque

Atque inſtauratis iterum complexibus uſque
Fervet opus, ſtrident pennæ, committitur inguen
Indomitum, & tenui laſcivis cuſpide, Paſſer.
Quid quòd te ſubiti rapit inclementia fati,
Nec tibi conceſſa eſt nulli ſperanda ſenectus?
Mille tibi præſtat, Paſſer, lux ſingula vitas,
Una dies, una hora humano longior ævo eſt.

T. S. *Ædis Chriſti Alumnus.*

ARAUSIO RECEPTA.

DUM figit bellator inertia poſtibus arma,
Dum lituus ſilet, &, pulſis ad carmina nervis,
Aonio vates deducunt vertice Muſas;
Te quoque dicemus, regio Arauſina, receptam,
Fœderis æterni pignus; tu carmina poſcis,
O patria Auriacûm memoranda! O inclyta nutrix
Heroum Divûmque! O mille experta labores,
Inviſiſque diu Senonum obluctata catenis!
ERGO iterum gremio NASSOVI infuſa recumbis?
Ergo arcto amplexu dilectum Heroa fatigas
Lætitiæ impatiens, dominóque priore ſuperbis?
Sic, vi prædonum longùm vexata, marito
Penelope caſtos redeunti aſpirat amores
Singultans; oculóſque natantes paſcit, & ulnis
Advolat expanſis, & inhæret pendula collo.
JAM pulſi exilio cives, pia turba, penates
Dilectos repetent, jam rura Arauſica ſimplex
Relligio, pietaſque, fideſque antiqua reviſent.

Mox

Mox huc confugient Valdenſis, & accola ripæ
Eridani durus, patriis de Vallibus actos
Quos ferro hinc Lodoix, hinc igne Sabaudius arcet.
Interea longè Auriacis GULIELMUS ab oris
Ignatî ſobolem pellet, fœdóſque cucullos,
Atque pias fraudes, tardóſque abdomine fratres.
Artibus Ille ſuam melioribus inſtruet urbem,
Jura, magiſtratúſque dabit, ſanctúmque ſenatum:
Ille novas Ædes Phœbo Muſíſque dicabit,
Atque recepta novi cantabunt rura Marones.
Ille domos Atavûm lapſas, & hiulca ruinis
Cœlicolûm attollet delubra; arceſque reponet
Mauritii everſas, & inexpugnabile vallum.
EN! video ut ſtudio fervet generoſa juventus,
Pars humeris truncos, pars grandia marmora portant
Obnixi; ſurgit moles operoſa, minæque
Murorum ingentes; ſummis undantia pinnis
Auriaci vexilla ardent, ruptoque remugit
Tormentum fumans cœlo, & nigreſcit ad auras.
Tum Tibi quas grates, GULIELME, Arauſio ſolvet,
Quas ſtatuas dabit, & capiti decernet honores?
Tempus erit, cùm olim Arauſinos advena tractus
Inviſens, illic non jam pendentia ſaxa,
Relliquias faſtûs Romani, aut templa ſtupebit
Disjecta, egregiaſve ruinas Amphitheatri.
Non MARIO victos poſt Cimbros ſtructa trophæa
Spumantem Rhodani attonitus ſpectabit ad undam;
Sed, GULIELME, Tuum ſpiranti in marmore vultum,
Atque triumphales portas, monumentaque famæ
Sacrata Auriacæ, ſurgentéſque ære columnas,
Defixus mirabitur, ardeſcétque tuendo.
AT vos, queis virtus bellandi, & nobile robur

Semper

Semper creſcentem famam, ſempérque virentes
Conceſſit lauros, immortaléſque triumphos,
Magnanimi Heroes NASSOVÆ gentis, & umbræ
Mauritii Fredericíque, atque ingentis Adolphi;
Vos, dilectæ animæ; Vos (ſi mortalia curant
Ordinibus divûm inſcripti) nova gaudia tangant;
En! veſter ſanguis Britonum diademate crines
Auctus laurigeros, poſt expugnata Namurci
Mœnia, poſt fractas vires, animumque ſubactum
Borbonii, dextram placidè tendentis, & ultrò
Pacem implorantis, ſedes ſecurus avitas
Occupat, atque domos patrum, Auriacûmque repoſcit
Regna olim erepta, atque ſuis dominatur in oris.
JAM Senonas piget Auguſtos rapuiſſe penates,
Fœnore cum multo, GULIELME, requiris adultus,
Quos puero incaſſum Lodoix detraxit honores.
Sic olim EDVARDUS, plenis maturior annis,
Fræna Arari Ligeríque daturus, mitior iras
Diſtulit, & Celtis conceſſit fœdera, ſedeſque
Avulſas Aquitanûm, & Neuſtrica regna recepit.

RIC. MARIETT, *ex Æde Chriſti,*
Superioris Ordinis Commenſali

ADMINISTRATIO MARIÆ.

DUDUM relicto pectine Lesbio,
Nunc ad priorem ſic temere feror
Inſaniam. O Pecten, movere
Qui Superos potes, & creare,

Hoc

Hoc ſi ſupremum carmen amicior
Camœna pulchrum ducet in exitum,
Te, blanda teſtudo, lyramque
Emeritam tholus hic eburnus
In pace ponet tempore poſtero:
Haud ulla rurſus dextera pervicax
Audebit ad priſcum quietas
Officium revocare chordas.
Me ſi Lycoris dura refugerit,
Non tu querêris flebilibus modis;
Me ſi beârit, non, ut olim,
Voce tuâ peragam triumphum.
MARIA, magni comparis æmula,
Te deſtinamus materiem; Tibi
Theatra clamant, ac jocosâ
Admonitus ſalit Iſis undâ.
O Diva, ſi quid forte tibi vacat,
Nec ſemper urges pectus amabile
Curis, geríſque ſemper Anglo
Sollicitam ſuper orbe frontem,
Deſcende paulùm huc, & propior Tuas
Inviſe Muſas, dum Tibi regiam
Urbem æſtus infeſtat, Caníſque
Penè novum minitatur ignem.
Videbis omnes laudibus in Tuis
Fervere vates: Pars ad originem
Recurrit, & clarum ſalutat
Per memores genus omne faſtos:
Hic enitentem corpore gratiam
Narrat; manúſque & cæſariem, & genas
Miratur, incedens per ignes,
Et nimio periturus auſo.

Alter ſonabit, Tu bona, tu pia,
Tu pura vitæ, & juſtitiæ tenax,
Mittétque virtutes in ævum
Egregiis numeris Poeta.
Non hæc ab udâ fas fuerit tibi
Sperare Leydâ: Laurea Belgicam,
Quocunque delinita cultu,
Odit humum minus hoſpitalem.
At O! Quis almum tollet honoribus
Diem, labanti qui dedit Inſulæ
Spem primus, ultricémque flammam
Borbonias tulit in carinas?
Illas ovantes in vacuo mari
Matrona longè ex mœnibus Anglicis
Proſpexit, ut charis diurnum
Virginibus dabat æqua penſum;
Ah, flete, dixit, fata Britannici
Extrema regni! Quæ nova Wallia
Victis favebit, atque fractum
In gremio populum recondet?
Vos in catenis, quatenus auguror,
Captas puellas auferet inſolens
Cohors, & ignotum bibetis
Aut Rhodanum procul, aut Garumnam:
Tunc, vel ſuperbum veſter erit labor
In Ludovicum pſallere carmina,
Lauroſque, ſuppliceſque gentes,
Et trepido data jura mundo;
Vel imperatæ ſtamina purpuræ
Texetis auro, quam Domina induet
Pariſiana, quo ſagatum
Luce novâ feriat maritum.

Sic elocuta eſt. Atqui aliam vicem
In lance pendens fata Dieſpiter
Parabat: Extemplo volantem
Ad ſcopulos, & amica ſaxa
Gallum videres, fulmine percitum
Anglo: Videres nantia Lilia,
Trabeſque, & antennas, Deoſque,
Præcipiteſque rates, & ipſos
Duces in undis; heu, nitidos comâ
Fruſtra, & ferentes pignora Virginum
Lævo lacerto, dum repellit
Dextra graves operoſa fluctus.
Ex hoc in hoſtem bella refundere
Ardemus ultro: Jam freta milite
Anglo relucent; jam potiti
Oppoſitâ dominamur orâ.
Normanna Tellus, unde genus virûm
Audax Britannâ crevit in Inſulâ,
O pulchra mater! O tot alma
Poſt hyemes repetita, ſalve!
Agnoſce natos, qui tibi vincula
Rumpent dolenti; ſeu Lodoix fremat
Præſens in armis, ſive priſca
Ex erebo redeat Joanna.

Ds. RIC. VERNON, *Baronet. ex Æde Chr.*

Inauguratio Regis

GULIELMI.

AD REGEM.

O Magna AURIACÛM ſoboles! O ſtemmate longo
Heroum demiſſe Heros! Quo ſoſpite manes
NASSAVI exultant; FREDERICIque umbra ſuperbit,
Magnanimi recolens famamque & fata nepotis:
En! Tibi captivam priſci gens aſpera Bruti
Submittit cervicem ultrò; Tibi bella minanti
Obvia in amplexus ruit; &, Mavortis avìti
Oblita, inſuetam manibus prætendit olivam.

QUOS non terribilis Cimber, triſtéſque videri
Pictones, aut torvi fregit vis dura Canuti;
Quos non Roma potens bello, Celtæve Latinis
Agminibus miſti; gelido neque victor ab Iſtro
Edomuit pugnando, deditque in vincula, Cæſar:
Hi non indecores ferro, neque cedere caſtris
Aſſueti quondam, Tua ſponte in fræna reclines
Subjiciunt humeros; victriciaque arma ſecuti,
Optato cedunt nodo, manicíſque fruuntur.

ASPICE, ut unanimis Procerum Populique ſenatus
Sceptra Tibi parat, & ſolito movet ordine palmam,
Et merito capiti exortes decernit honores!

NAM neque Te regni ſumma ad faſtigia vexit
Lucinæ favor, & naſcendi inglorius ordo:

Vivida

Vivida ſed bello virtus, tutataque ferro
Libertas, juſtique amor, & reverentia Divûm,
Intemerata fides, & non revocabile verbum.
HAC olim Argolicum Theſeus, hac arte Quirinus
Romanum imperium fixit: Cyruſque ſubacto
Major avo, ambigui Martis durique laboris
Mercedem, Perſas, populoſque recepit Eöos.
TE Duce, Gradivum poſcunt deſueta triumphis
Agmina, & in patrias ſperant aſſurgere lauros:
Te Duce, victrices aquilas trans oſtia Rheni,
Trans Ligerim oſtentant Britones; avibuſque ſecundis
Avulſos Morinos, & Neuſtrica regna repoſcunt.
Semineces video Celtas, genibuſque minorem
Borbonium ſævire minùs, promittere iniqui
Exilii finem, pulſoſque requirere cives.
Nequicquam: Domino Rhodanus meliore ſuperbit,
Et fractos tibi volvit Arar, tibi Sequana fluctus.
AUSPICE Te, canum mater cultuque decorum
Efferet os tenebris, puroque incedet amictu
Relligio; & vanas, in Te inclinata, retundet
Iraſque, inſidiaſque, & ovantem ſanguine Romam.
VOS, fidi Manes, nati melioribus annis,
Vos BALIOLÆIS buſtum miſerabile flammis
Experti quondam; LATIMERI ſimplicis umbra,
RIDLÆIQUE anima, & CRANMERI dia ſenectus;
Nunc o! nunc hilares defenſis funere veſtro
Arridete aris; haſque olim ſanguine fœdas
Luſtrari gaudete arces; hâc ſede cucullos,
Funigerûmque greges, & adorea numina pelli;
Inferiæ hæ vobis, hæc grata piacula ſunto.
ECCE ſuos repetit, pulſo bubone, penates,
Cecropiaſque domos, dilectaque mœnia Pallas.

QUALIS

QUALIS ubi mediâ volucris Jovis ales in æthrâ
Sanguineas agitavit aves, milvumque rapacem;
Impavidæ redeunt in patria rura volucres,
Tuta colit ſylvas Philomela, & littora Cycnus.
QUIN tu, ſancta Ædes, quæ multos ubere partu
Fudiſti Heroas: Quæ nunc (ſic fata revolvit
Naſſaides) Dominum tanto es ſortita minorem,
Quanto alias inter fulges Regina ſorores:
Tu quoque non levibus nuper jactata procellis,
Tu cladis pars magna; alios meliore metallo
Fidas ire dies; alium tibi ſurgere credas
WOLSÆUM! AURIACI te ſpera in nomina ituram,
HENRICIque tui majorem agnoſce nepotem.

HENRICUS ALDRICH, *S. T. P. Eccleſ. Chr. Decanus.*

BAROMETRI DESCRIPTIO.

QUA penetrat foſſor terræ cæca antra, metallo
Fœcunda informi, rudibuſque nitentia venis;
Dum ſtupet occultas gazas, nummoſque futuros,
Eruit argenti latices, nitidumque liquorem;
Qui nullo effuſus prodit veſtigia tractu,
Nec terram ſigno revolubilis imprimit udo,
Sed fractus ſparſim in globulos formam uſque rotundam
Servat, & in teretes lapſans ſe colligit orbes.
INCERTUM, quâ ſit naturâ, an negligat ultrà
Perficier, jubar & maturus inutile temnat;
An potius Solis vis imperfecta relinquat

Argentum

Argentum malè coctum, divitiaſque fluentes.
Quicquid erit, magno ſe jactat nobilis uſu;
Nec Deus effulſit magis aſpectabilis olim,
Cùm Danaen flavo circùm pretioſus amictu
Ambiit, &, gratam ſuadente libidine formam,
Depluit irriguo liquefactum Numen in Auro.
QUIN age, ſume tubum fragilem, cui denſior aër
Excluſus; fundo vitri ſubſidat in imo
Argenti ſtagnum: ut pluviâ impendente metallum
Mobile deſcendat; vel contrà, ubi poſtulat æſtus,
Prodeat hinc liquor emergens, & rurſus inane
Occupet aſcenſu, tubulumque excurrat in omnem.
JAM cœli faciem, tempeſtateſque futuras,
Conſcia lympha monet, brumamque & frigora narrat.
Nam quoties liquor inſurgit, vitreoque canali
Sublatum nequeunt ripæ cohibere priores;
Tum lætos ſperare dies licet, arva fatentur
Æſtatem, & largè diffuſo lumine rident.
Sin ſeſe immodicùm attollens Argenteus humor,
Et nimiùm oppreſſus, contendat ad ardua vitri,
Jam ſitiunt herbæ, jam ſuccos flamma feraces
Excoquit, & languent conſumpto prata virore.
CUM verò tenues nebulas ſpiracula terræ
Fundunt, & madidi fluitant ſuper æquora fumi,
Pabula venturæ pluviæ; tum fuſile pondus
Interiora petit: nec certior Ardea cœlos
Indicat humentes, medias quando ætheris oras
Tranando, craſsâ fruitur ſublimiùs aurâ,
Diſcutit & madidis rorantia nubila pennis.
Nunc guttæ agglomerant, diſperſas frigora ſtipant
Particulas, raruſque in nimbum cogitur humor:
Prata virent, ſegetem fœcundis imbribus æther

Irrigat,

Irrigat, & bibulæ radici alimenta miniſtrat.
Quin ubi plus æquo deſcendens unda metalli
Fundum amat, impatiens pluviæ, metuenſque procellam,
Agricolæ caveant; non hoc impune colonus
Aſpicit; oſtendet mox fœta vaporibus aura
Collectas hyemes, tempeſtatemque ſonoram.
At licèt Argentum mole incumbente levatum
Subſidat, penituſque imo ſe condat in alveo,
Cætera quæque tument; everſis flumina ripis
Expatiata ruunt, ſpumantibus æſtuat undis
Diluvium, rapidique effuſa licentia ponti.

NULLA tacet ſecreta poli mirabile vitrum;
Quin varios cœli vultus & tempora prodit:
Antè refert, quando tenui velamine tutus
Incedes, quando ſperabis frigidus ignem.

AUGURIO hoc fretus, quanquam atri nubila cœli
Dirumpunt obſcura diem, pluviaſque minantur;
Machina ſi neget, & ſudum promittat apertum,
Audax carpat iter nimbo pendente viator;
Nec metuens imbrem, poſcentes Meſſor ariſtas
Proſternat: terræ jam bruma incumbit inermis,
Frigoraque haud nocitura cadunt, feriuntque paratos.

Jo. ADDISON, *A. B. è Coll. Magd.*

DUX

DUX GLOCESTRENSIS.

M DC XCVII.

RAPTAS Tiaras vertice perfido
Narrare vellem, ſignáque Turcica,
Enſeſque falcatos, & Iſtrum
Sanguine barbarico rubentem.
Arctoa digno prælia ſpiritu
Conarer efferre; ut glacies putri
Induruit tabo, atque vinc'lis
Purpureis riguêre piſces:
Quà torvus alget Sarmata, & hiſpidos
Contriſtat agros perpetuum gelu:
Sed Muſa caſtigat vagantem,
Et Patrias celebrare laudes
Impellit. O quo læta GLOCESTRIA
Superbit! O quem tollit Honoribus!
Te Diva ſumit non pudendo
Carmine, degenerique verſu
Ornare; quamvìs nec teneras genas,
Nec enitentem crudior aſperet
Frontem cicatrix, nec venuſta
Vulnus adhuc violârit ora.
At mox adulto robore firmior
Quaſſabis haſtam, vel gladio minax
Fremes, nec ultrà fœminarum
Indecores patiêris artes:

Seu

Seu rite juſtis inſtituant pedes
Movere gyris, ſeu doceant comam
Torquere perplexam, & futura
Ponere virginibus peric'la.
Jam non alumni grandis amantior
Nutrix recenſet, fatidicè loquax,
Quot Albion olim videbit,
Quot pelagus, Domini triumphos.
Nunc tela fervens poſcit, & horridos
Martis tumultus; nunc in Achaïcas
Urbes, pharetratamque Thracen,
Non humiles meditatur iras.
En! ut ferocem Bucephalum domat,
Fruſtra inſolentem verberis! ut jubam
Vexat recurvatam, docetque
Compoſitos glomerare greſſus!
At ille nequicquam emicat arduâ
Cervice in auras, oraque concutit
Spumantia, obluctanſque frænos
Dente terit malè contumaci.
Verùm quid arces Vinſoriæ tremunt?
Quid læta vano fulmine perſtrepunt
Tormenta, feſtivaſque flammas
Projiciunt, & inerme fulgur?
Divinus ora, & pulchrior aſpici
Incedit Heros; agmina Principem
Aurata cingunt, & profanæ
Ponè ruunt populi catervæ:
Inter ſodales vertice celſior
Hoardus extat, tuque premis latus,
Sacville, quem cuncti Patronum
Sollicitant, tua cura, vates.

Atque

Atque Ille poſthac Te quoque carmine,
Princeps, ſonabit, grandia nobilis
Æquare verſu non caduco,
Et genio numeroſiori:
Seu Te remotis tradere poſteris
Libet, faventem pacificæ togæ,
Muſiſque, ſeu bello furentem
Intrepidè, ac facilem perire.
Agnoſco pompam: nunc galea aſpera
Comptos capillos impedit, & femur
Ornat ſiniſtrum, qui recondi
Reſpuet, irrequietus enſis.
En! qualis auro fulgidus ordinat
Parvam phalangem, &, prælia ludicro
Furore commiſcens, trophæa
Sicca refert, ſine clade victor.
Jam denſat agmen cautus, ut obvias
Arcto cohortes proruat impetu;
Fugamve mentitus, catervas
Opprimit exitii ſequaces.
Ut nunc minaci pondere deſuper
Nutâſſe turres, & malè pendulos
Hæſiſſe muros! ut Seneffam
Ambiguâ maduiſſe cæde
Accenſus audit! mixtaque funera
Ardet tueri, & ſulphure luridos
Artus, & indiſcreta membra
Per medias agitata flammas!
Ut ponè magni geſtit Avunculi
Urgere greſſus, dum furit impiger,
Qualis Boandæ, vel ſubacti
Mœnibus intonuit Namurci!

Nunc æra luget rauca quieſcere,
Bellique fulmen; ſcilicet æmulus
Sequi Parentem, Danicamque
Non dubiè ſobolem fateri:
Sic parvus angues comprimit Hercules,
Iras Novercæ, & vividus exerit
Omnem Tonantis vim, aſſeritque
Se Superis animoſus Infans.

THO. JONES, *è Coll. Magd. Oxon. Superioris Ordinis Commenſalis.*

INAUGURATIO

Regis GULIELMI *& Reginæ* MARIÆ.

Ad REGINAM.

QUID Britonum dubiæ detrectant arma cohortes,
Et figunt tellure haſtas, & ſcuta reclinant?
Quid per Danorum tumulos, urnaſque Latinas,
Saxonidumque pyras, fataliaque hoſtibus arva,
Securus graditur Belga, & ſine Marte triumphat?
USQUE adeò Britonum bello langueſcere virtus?
Degenereſque adeò tibi ſunt, ARTHURE, Nepotes?
NON illos Pallas, non Belgica juſſit Enyo,
Arma procul jactare, & pacem expoſcere dictis,
Et ramum præferre manu felicis Olivæ:
Tu, Dea, quæ longo numeras in ſtemmate Reges,
Cui Brutus primi, cui Fergus ſanguinis Author,

Qua

Quæ ſacrum decoras genus, abſolviſque Parentem;
Tu ſævos animorum æſtus, & atrocia mulces
Pectora, Brutigenûmque jubes miteſcere corda.
QUALIS, ubi gelido ſi fortè aſpexit in Hæmo
Spirantem bella, & meditantem pectore clades
Mavortem formoſa Venus; Deus horridus haſtam
Ponit humi; mollitque iras, vultumque minacem
Explicat; & placidis ſe acclinat mitior ulnis;
Nec malit Geticas miſcere in prælia gentes.
SPONTE tuos ambit pubes Mavortia faſces;
Nec quis erit, ferro qui te violaverit, Aruns,
Nec quis, qui Veneri dederit nova vulnera, miles.
ASPICE ut, effuſos oleâ redimita capillos,
Det Tibi ſponte ſuas grandæva Britannia palmas!
Illa Anglûm fœcunda parens, dilecta Gradivo
Nympha; nec aſſiduis nequicquam exercita pugnis:
Olim Nympha potens bello: & quæ fræna Garumnæ,
Fræna Arari poſuit victrix; modò, cardine verſo,
Marcentes lauros, antiquæ inſignia famæ,
Mœſta gerit; Celtaſque timet, neque terret Hibernos.
At nunc in notas iterum ſe attollere laudes,
Fœmineiſque ardet ſe iterum ſubmittere ſceptris:
O quanta incedit greſſu! ut præſaga triumphos
Prælibat Nympha! & venturæ conſcia famæ
Multam in Te Boadiccam & multam agnoſcit Elizam.
O dilecta polo Diva; & ſpes una Britannûm,
Magnis orta atavis, atavûm generoſior hæres:
Accipe fortunam generis: Neu ſceptra recuſes
Formosâ geſtanda manu: Tibi regius auro
Velet honos caput, & crines tibi cingat Iäſpis,
Eöiſque nitens ſcintillet purpura gemmis.

TU decus interea, & ſacræ pars optima pompæ,
Addideris ſplendorem auro, pretiumque ſmaragdis.
SIC ubi, vere novo, violas & lilia paſſim
Et niveo myrtos decerpunt pollice Nymphæ,
Et Triviæ agreſtem texunt de more coronam:
Ipſa ſibi fuſos decorat Latonia flores;
Ipſa roſis ſuaves myrtiſque inſpirat odores.
HOS inter plauſus, Virgo, pars una triumphi
Heu nimiùm pars parva Tui, Tibi grata virentes
Prætendit Rhedycina hederas, Parnaſſia dona;
Et Tibi Pieriis intexit tempora ſertis:
Illam equidem tetigit propiori fulmine ſtrages
Immeritam; & ſacræ intremuerunt Palladis arces:
Tu, Dea, ſi puris Tibi lucent ignibus aræ,
Teque pia annumerat Patria inter numina, Virgo,
Nec flammâ majore umbris adoletur ELIZÆ:
Tu ſtabilem firmari arcem, & contemnere ventos
Auſpicio meliore dabis: neu Tibris in Iſim
Gurgite liventi properet; nec miſceat unquam
Impuras Lemanus aquas in virgine lymphâ.
HOC Tibi, Nympha, datum eſt; alios reſtare labores,
Et nova penſa Tuis gaudes ſupereſſe Camœnis:
Nam veluti Heſperiæ regina Lavinia terræ
Dilecto cum Troë ſuos diviſit honores,
Et thalami Æneam ſoliique in parte locavit:
Sic nolis Tibi, Nympha, uni parere Britannos,
Auriacique comas nullo diademate cingi;
At magno indulges dotalia ſceptra Marito.
AUSPICIIS paribus Dis & Proſerpina Manes;
Jupiter æthereas regit, & Saturnia ſtellas;
Æqua ſuo dat jura Thetis, dat jura profundo
Neptunus; madidique tenent conſortia regni:

Ipſa

Ipſa Tuum in Tua ſceptra vocas, MARIA, Tonantem,
Immenſumque regis non unâ cuſpide pontum.

THO. NEWEY, *Ædis Chr. Alumnus,*
& Acad. Procurator.

ΠΥΓΜΑΙΟ-ΓΕΡΑΝΟΜΑΧΙΑ,

Sive PRÆLIUM *inter*

PYGMÆOS & GRUES *commiſſum.*

PENNATAS acies, & lamentabile bellum
Pygmeadum refero: parvas tu, Muſa, cohortes
Inſtrue; tu gladios, mortemque minantia roſtra,
Offenſoſque Grues, indignanteſque puſillam
Militiam celebra; volucrumque hominumque tumultus.
HEROUM ingentes animos & triſtia bella
Pieridum labor exhauſit, verſuque ſonoro
Juſſit & æternâ numerorum aſſurgere pompâ.
Quis lectos Grajûm juvenes, & torva tuentem
Theſea, Quis pedibus velocem ignorat Achillem?
Quem dura Æneæ certamina, quem GULIELMI
Geſta latent? fratres Thebani, & flebile fatum
Pompeii quem non delaſſavêre legentem?
Primus ego intactas acies, gracilemque tubarum
Carmine depingam ſonitum, nova caſtra ſecutus;
Exiguoſque canam pugiles, Gruibuſque malignos
Heroas, nigriſque ruentem è nubibus hoſtem.
QUA Solis tepet ortu, primitiiſque diei
India læta rubet, medium inter inhoſpita ſaxa

(Per placidam vallem, & paucis acceſſa vireta)
Pygmæûm quondam ſteterat, dum fata ſinebant,
Imperium. Hîc varias vitam excoluêre per artes
Seduli, & aſſiduo fervebant arva popello.
Nunc ſiquis dura evadat per ſaxa viator,
Deſertoſque lares, & valles oſſibus albas
Exiguis videt, & veſtigia parva ſtupeſcit.
Deſolata tenet victrix impune volucris
Regna, & ſecuro crepitat Grus improba nido.
Non ſic, dum multos ſtetit inſuperabilis annos
Parvula progenies; tum, ſi quis cominus ales
Congredi, & immixtæ auderet ſe credere pugnæ,
Miles atrox aderat, ſumptiſque feroculus armis
Sternit humi volucrem moribundam, humeriſque reportat
Ingentem prædam; cæſoque epulatur in hoſte.
Sæpe improviſas mactabat, ſæpe juvabat
Diripere aut nidum, aut ulciſci in prole parentem.
Nempe larem quoties multâ conſtruxerat arte,
Aut uteri poſuiſſet onus, volucremque futuram:
Continuò vultu ſpirans immane minaci
Omnia vaſtaret miles, fœtuſque necaret
Immeritos, vitamque abrumperet imperfectam,
Cùm tepido nondum maturuit hoſtis in ovo.

HINC cauſæ irarum, bella hinc, fatalia bella,
Atque acies letho intentæ, volucrumque virûmque
Commiſtæ ſtrages, confuſaque mortis imago.
Non tantos motus, nec tam memorabile bellum
Mæonius quondam ſublimi carmine Vates
Luſit; ubi totam ſtrepituque armiſque paludem
Miſcuit; hîc (viſu miſerabile!) corpora murûm
Sparſa jacent juncis transfixa, hîc gutture rauco
Rana dolet, pedibuſque abſciſſo poplite ternis

Reptat

Reptat humi, ſolitis nec ſeſe ſaltibus effert.
JAMQUE dies Pygmæo aderat, quo tempore cæſi
Pœnituit fœtûs, intactaque maluit ova.
Nam ſuper his accenſa graves exarſit in iras
Grus ſtomachans; omneſque ſimul, quas Strymonis unda,
Aut ſtagnum Mareotidis, imi aut uda Cayſtri
Prata tenent, adſunt; Scythicâque excita palude,
Et conjurato volucris deſcendit ab Iſtro,
Strageſque immenſas & vulnera cogitat abſens,
Exacuitque ungues ictum meditata futurum,
Et roſtrum parat acre, fugæque accommodat alas,
Tantus amor belli, & vindictæ arrecta cupido.
Ergo ubi ver nactus proprium, ſuſpenſus in alto
Aëre concuſſis exercitus obſtrepit alis,
Terræque immenſos tractus, ſemotaque longè
Æquora deſpiciunt, Boreamque & nubila tranant
Innumeri. Crebro circùm ingens fluctuat æther
Flamine, & aſſiduus miſcet cœlum omne tumultus.
NEC minor in terris motus, dum bella faceſſit
Impiger, inſtituitque agmen, firmatque phalangas,
Et furit arreptis animoſus homuncio telis:
Donec turma duas compôſta excurrat in alas,
Ordinibuſque frequens, & marte inſtructa perito.
JAMQUE acies inter medias ſeſe arduus infert
Pygmeadum ductor; qui majeſtate verendus,
Inceſſuque gravis, reliquos ſupereminet omnes
Mole Giganteâ, mediamque aſſurgit in ulnam.
Torvior aſpectu (hoſtilis nam inſculpſerat unguis
Ore cicatrices) vultuque oſtentat honeſta
Roſtrorum ſigna, & crudos in pectore morſus.
Immortali odio, æterniſque exercuit iris
Alituum Gentem; non illum impune volucris

Aut ore, aut pedibus peteret confisus aduncis.
Fatalem quoties Gruibus distrinxerat ensem,
Truncavitque alas, celerique fugam abstulit hosti!
Quot fecit strages! Quæ nudis funera pullis
Intulit, heu! quoties implevit Strymona fletu!
JAMQUE procul sonus auditur, piceamque volantûm
Prospectant nubem, bellumque hostesque ferentem.
Crebrescit tandem, atque oculis se plurimus offert
Ordinibus structus variis exercitus ingens
Alituum, motisque eventilat aëra pennis.
Turba polum replet, specieque immanis obumbrat
Agmina Pygmæorum, & densa in nubibus hæret:
Nunc densa, at patriis mox reddita rarior oris.
Belli ardent studio Pygmæi, & lumine sævo
Suspiciunt hostem; nec longum tempus, & ingens
Turba Gruum horrifico sese super agmina lapsu
Præcipitat gravis, & bellum sperantibus infert.
Fit fragor; avulsæ volitant circum aëra plumæ.
Mox defessa iterum levibus sese eripit alis,
Et vires reparata iterum petit impete terras.
Armorum pendet fortuna: hîc fixa volucris
Cuspide, sanguineo sese furibunda rotatu
Torquet agens circùm, rostrumque intendit in hostem
Imbelle, & curvos in morte recolligit ungues.
Pygmæi hîc stillat lentus de vulnere sanguis,
Singultusque ciet crebros, pedibusque pusillis
Tundit humum, & moriens unguem execratur acutum.
ÆSTUAT omne solum strepitu, tepidoque rubescit
Sanguine; sparguntur gladii, sparguntur & alæ,
Ungueſque & digiti, commistaque rostra lacertis.
Pygmeadum sævit, mediisque in millibus ardet,
Ductor, quem latè hinc atque hinc pereuntia cingunt

Corpora

Corpora fuſa Gruum; mediâque in morte vagatur,
Nec plauſu alarum, nec roſtri concidit ictu.
Ille Gruum terror, illum denſiſſima circum
Miſcetur pugna, & bellum omne laborat in uno:
Cùm, ſubito appulſus (ſic Dî voluêre) tumultu
Ex inopino ingens & formidabilis Ales
Comprendit pedibus pugnantem; & (triſte relatu)
Suſtulit in cœlum; Bellator ab unguibus hæret
Pendulus, agglomerat ſtrepitu globus undique denſus
Alituum; fruſtra Pygmæi lumine mœſto
Regem inter nubes lugent, ſolitoque minorem
Heroem aſpiciunt Gruibus plaudentibus eſcam.
JAMQUE recrudeſcit bellum: Grus deſuper urget
Pygmæum roſtro, atque hoſtem petit ardua morſu;
Tum fugit alta volans; is ſurſum brachia jactat
Vulneris impatiens, & inanes ſævit in auras.
Talis erat belli facies, cùm Pelion ingens
Mitteret in cœlum Briareus, ſolioque Tonantem
Præcipitem excuteret; ſparguntur in æthere toto
Fulminaque ſcopulique: flagrantia tela deorſum
Torquentur Jovis acta manu, dum vaſta Gigantum
Corpora fuſa jacent, ſemiuſtaque ſulphure fumant.
VIRIBUS abſumptis penitus Pygmeïa tandem
Agmina langueſcunt; ergo pars vertere terga
Horribili perculſa metu, pars tollere vocem
Exiguam; latè populus Cubitalis oberrat.
Inſtant à tergo volucres, lacerantque trahuntque
Immites, certæ gentem extirpare nefandam.
SIC Pygmæa domus multos dominata per annos,
Tot bellis defuncta, Gruum tot læta triumphis,
Funditus interiit: Nempe exitus omnia tandem
Certus Regna manet; ſunt certi denique fines,

Quos ultra tranſire nefas: ſic corruit olim
Aſſyriæ Imperium, ſic magnæ Perſidis imis
Sedibus everſum eſt, & majus utroque Latinum.
Elyſii valles nunc agmine luſtrat inani,
Et veterum Heroum miſcetur grandibus umbris
Plebs parva: aut, ſi quid fidei mereatur anilis
Fabula, Paſtores per noctis opaca puſillas
Sæpe vident umbras, Pygmæos corpore caſſos.
Dum ſecura Gruum, & veteres oblita labores,
Lætitiæ penitus vacat, indulgetque choreis,
Anguſtoſque terit calles, virideſque per orbes
Turba levis ſalit, & Lemurum cognomine gaudet.

J. ADDISON, *A. M. è Coll. Magd.*

In Obitum Auguſtiſſimi & Deſideratiſſimi

REGIS *CAROLI* II.

AUGUSTOS Manes, & non reparabile vulnus
Angligenûm, raptúmque hoſtilis crimine fati
CAROLI DEN memorare jubet dolor: Ille doloris
Nunc primum cauſa eſt; non præbuit antè querelis
Materiam; ſed in hanc ſuſpiria diſtulit horam.
NUNC quæ Scotorum rabies, torvuſque Genevæ
Incola, triſte neget madidi vectigal ocelli?
Cùm fractâ Gracchorum irâ, vulgique tumultu
Compoſito, optatum pax extulit aurea vultum;
Cùm jam ſecurâ veheretur CAROLUS aulâ,

Et

Et tandem emeritis promitteret otia curis:
Spem vanam eluſit Lacheſis, medioſque triumphos
Abrupit, paciſque auctori ſuſtulit uſum.
SIC olim, incerti poſt longa decennia belli,
Pelides fato occubuit; capitique paratam
Amiſit laurum, & pendentem in vertice palmam.
QUIS non ſuſpiret? cùm Tu, pars altera fratris,
Pars magna Ille Tuî, extremo junxiſtis amore
Pectora: cùm fugitivæ animæ ſuprema JACOBUS
Frigora captavit; gelidâque in morte natantes
(Ad fratrem tamen erectos) compreſſit ocellos.
HINC lachrymæ; hinc procerum miſtæ vulgique querelæ,
Hinc luctûs pompa, & pullati nænia mundi.
SIC inſana olim cùm Te procul egit Erinnys,
Et patriis vulgi furor impius expulit oris,
Abſentem flevit Thameſis; flevêre Camœnæ.
At, quamvìs procul exul eras; Te, CAROLE, vivo,
Non deſperatum eſt tandem mortalia vinci
Et potuiſſe arma, & frangi potuiſſe rebelles.
Eheu! nunc longo ſejungeris intervallo:
Nunc reditum prohibet clauſtris & gurgite vaſto
Styx atra, & major Libitina rebellibus armis.
SOLA viget magna umbra Tuî, memorandáque faſtis
Gloria, quæ æternæ monumentis inſita famæ
Uſque manet, ſemper manſura: Hæc ſola ſuperſtes.
Hæc pars una Tuî; relevátque hæc vita dolorem.
NAMQUE olim longi ſeros poſt temporis orbes,
Cùm balbus puer, & linguâ titubante puella
Multa ſuper CAROLI pugnis, CAROLIque triumphis,
Multa ſuper fato rogitabunt; ore ſenili

Sic

Sic pater excipiet, ſeriemque evolvet honorum.
" QUIS non Annales tantos, ludumque jocoſæ
" Fortunæ referet? cùm denſa per arma, per ignes,
" Contra omnem fatorum ictum, ſortiſque novercæ
" Vulnera, CAROLIDES pede fixo immobilis hæſit.
" IMBERBEM vidit Vigornia; primus in arma
" Cùm rueret, fidæ dux idem & gloria turmæ,
" Longam edens ſtragem: mediâ ſic Phœbus in Oſsâ
" (Phœbus adhuc juvenis) ſolium defendit avitum,
" Immanémque Otum, vaſtúmque Typhoëa fudit.
CUM nigra adverſi malè cederet alea belli,
Quot volvit caſus? quàm longos Ille labores?
Quot ſævi invictus ſenſit diſcrimina fati?
Quàm bene ſolliciti favit clementia cœli?
Quàm bene defendit Dominum ſuus æquore Nereus?
Nereus, quem tanti non muneris immemor armis
Aſſeruit, Batavique injuſtâ compede ſolvit:
Teſtis adhuc Hollandus, adhuc oſtendit hiantes
Ore cicatrices, & acerbi inſignia belli.
An memorem, Auguſtæ quis, adhuc ſpirante favillâ,
Æternum poſuit murum? quiſve æmula cœlo
Templa ſuo, & claras, pulsâ fuligine, turres?
DUM manet in terris ſeros hæc fama nepotes,
CAROLE, Tu patrio exultans incedis Olympo.
Te Divus genitor ſecurâ amplectitur ulnâ,
Non metuens iterum hoſtilis divortia ferri:
Ecce! Tibi gremio Glovernius inſtat aperto,
Immaturum orci ſpolium, viridiſque rapina
Immitis fati; æterni qui jungit amoris
Deſuetos nexus, cœleſtiáque oſcula figit.
Felices animæ! veſtrî pars una moratur,
(Eheu! tantùm una) innumeróſque moretur in annos,

JACO-

JACOBUS: claudat Lacheſis regale ſepulchrum,
Raraque Cæſareo exultet Libitina trophæo.

JACOBUS HARRINGTON, *Ædis Chr. Alumnus.*

In FUNUS Viri Clariſſimi

JACOBI HARRINGTON,

Egregii Poetæ, & Juriſconſulti peritiſſimi.

EHEU! gementûm quis ſonus undique
Invadit aures? quem ſequitur Patrum
Pullatus ordo? cui dolendam
Inſtituit Libitina pompam?
Eheu! quis Heros, quis Deus occidit?
Inviſit Orcum num malè belliger
ORMONDUS? an torquet furentes
ALDRICIUS moriens Camœnas?
Non dura tantum ſæviit Atropos,
Non auſa tantum; ſed tamen inclytam
Ploramus umbram, ſed decoro
ALDRICIUS rigat ora fletu.
Rapta eſt JACOBI funere lugubri
Ingens juventus, germinibus bene
Matura primis: O novenæ
Deliciæ, dolor O catervæ!
Hic cùm ſonanti carmine diceret
Reges in ipſos imperium necis,
Marone magno digna ſcripſit,
Digna ſuo cecinit ſepulchro.

Quid

Quid mugit altâ voce Sophos forum?
En explicantem gnaviter audio
Abſtruſa legum! En molientem
Magniloqui grave fulmen oris!
Nunc ora cerno pallida conſcii,
Nunc fixa cerno lumina judicis
Stupore, nunc primùm loquacem
Cauſidicos reticere turbam.
Sed Ille legum grande decus tacet,
Sed jam perenni docta ſilentio
Damnata vox eſt: O caducas
Spes hominum, faciléſque tolli!
O quem futurum pectore finxeram,
Qui purpuratis cinctus honoribus
Exponeret leges, peritus
Attonitæ moderator aulæ;
Qui voce ſolus Concilium Patrum
Olim moveret! ſed rapit invidum,
JACOBE, te fatum, ſed ingens
Elyſios petis umbra manes.
Non arma poſthac ſplendida Tullii
Vibrabit æquè, duráve pectora
Emolliet quiſquam, decorâ
Barbarie teres, & forenſis.
Utcunque circùm, gens petulantior,
Strepant amantes, non alium virum
Æquè fovebit ſeu Minerva,
Sive Themis, tibi vix ſuperſtes.
Sic nymphæ Eoæ per morientium
Agmen procorum, per juvenum manus
Ruunt tenaces, & perempti
Sponte rogos ſubeunt mariti.

G. ADAMS, *Ædis Chriſti Alumnus.*

TAURUS *in* CIRCO.

COMMISSAS in bella feras, hoſtique latranti
Adverſum memoro Taurum, atque immania membra,
Roboraque, rabiemque, & propugnacula frontis.
ET nunc arrectis ſpectanda in prælia vulgus
Accurrunt animis; mihi nauta adnixus inhæret,
Et cubitum impungit, piceoſque exhalat odores:
Hîc lanius turbæ obluctans pinguedine ſtillat,
Multâ cæde rubens, & funere, Taure, tuorum;
Hîc nitidus collum terit acri pollice ſciſſor:
Ille canum rabiem tacitâ gravitate revolvit;
Hic Tauri ſtomachum ingentem, ſpumantiaque ora
Miratur, geminâque armatam cuſpide frontem.
CONTINUO ingentem, duplicatâ incude coactum,
Infigunt terris vallum; Taurique tenaci
Colla ligant vinc'lo, tortoque volumine ſtringunt.
Arduus hic graditur circùm, tardéque verendo
Incedit paſſu, atque inſtantes deſpicit hoſtes
Indignans, capitiſque minaces quaſſat honores:
Quales non jactat cervus, dum cornua vibrat,
Mille vibrat tela, & ſurgentem in vertice ſylvam.
CIRCUMSTANT fremitu populi; torvuſque videri
Taurophylax circo ſpatiatur, robora criſpans
Raſa manu; Tauro ſemper fidiſſimus inter
Luctumque, clademque, & iniqui opprobria Martis.
Hic, ſi quando hæret virtus, belloque frequenti

Mens

Mens comiti defervet, amico robore terga
Demulcens nodosa fricat, caudamque vibrantem
Spiris intorquet subitis, atque orbibus orbes
Implicat, hinc membris languentibus emicat ardor.
Lignum terga fovet magicum, vireſque, animoſque
Sufficit ingentes, & ineluctabile robur;
Et contorta novos inſpirat cauda furores.
Sic, quoties puero flacceſcit pingue cerebrum,
Crudeli tremulus laceratur vimine clunis;
Dant animos plagæ, cerebrumque œſtrumque vacanti
Suppeditant capiti; ſubituſque Poeta venuſtos
Excudit numeros, & lætus diſticha pangit.

JAM canis impatiens luctatur, grata tubarum
Signa manens: oculis ſcintillat flammeus ardor;
Cor micat exultans bello; percurrit honeſtus
Membra tremor, magniſque vocat latratibus hoſtem.
Exiliens tandem irrumpit, ſed cautior obſtat
Ardenti Taurus, pronuſque in prælia pendens
Luctantem, & fruſtra conantem plura, moloſſum
Cornibus attollit; volat ille rotatibus actus,
Subjectamque ſtupet turbam, plebemque minorem.
Concurrunt vulgi clamantes; ſtat globus infrà,
Et prono ſpatioſa inclinant ordine dorſa;
Decidit, & plebem titubantem pondere pulſat.
Inſtat atrox pugnæ Lanius, rabidoque moloſſo
Succurrens, en ipſe ſub auras, pondus iniquum,
Turbatur rapidè, (dum plebs malè ſalſa caducum
Ridet) & oſtendit cornu femoralia rupta.

INTEREA nullo ſe continet ordine vulgus,
Nec jam Circus erat; Senior cùm dira rudebat,
Heu quianam vos tantopere (num auditis?) Amici,
Hinc atque hinc premitis? ſic fatus fuſte ruebat

Crudo,

Crudo, collisi subitò sonuêre bacilli,
Multaque sub rigido crepitârunt verbere crura;
Cedit, & immenso plebs circumfunditur orbe.
HAUD mora, corripiunt spatium; ruit alter & alter
Dente minax, plausuque sequaci provocat hostem.
Ille breves iras, atque horrida dentibus ora
Contemnit securus, & ingens mole suâ stat.
Hunc subitâ vertigine corripit; atterit illum
Mole pedum; stillant pendentia sanguine crura,
Et pede contusæ crepitant per tergora costæ.
ECQUIS erit finis Belli? Imperterritus alter
Emicat indignans, trepidatque cupidine pugnæ.
Quis furor, ô Catuli? quæ tanta licentia dentis
Innocui? Satis, ô satis atri vulneris: ecce
Instaurare nefas! hastatis frontibus instat
Corniger inconcussus, agitque impune triumphum.
Eheu, nil moniti terret, quos numine lævo
Impellit malesuadus honos! prorumpit anhelus,
Assultatque ruitque simul, labensque comanti
Excutitur capiti, & patulo frustra ore lacessit:
Dentibus heu, quacunque locum virtute petivit,
Successum Dea dira negat!
ARMA duo tandem comites socialia jungunt,
Præcipitantque simul: miles veteranus uterque;
Ille dolo valet, & pellacis acumine mentis;
Hic vires, dentisque tenacia robora jactat
Intrepidus: Populus se fundit prælia circum,
Multùm hærens animis, & hianti conticet ore.
Tandem rauca canunt hinc illinc signa, canûmque
Prorumpunt fraterna phalanx:
Hic ardens rictu ter hiulco insultat, inani
Ter morsu crepitant dentes; at subdolus alter

Membra

Membra movet contracta, ſoloque adnixus inhæret;
Iſta dolus ſuadet, fallax dolus omnibus olim,
Nunc primùm Domino: Taurus cervice reflexâ
Erigit obluctantem, & turbine torquet ad auras
Dimidium belli; comes ocyùs impete fertur
In Taurum fruſtra victorem, & vindice ſaltu
Emicat ad nares, prenſatque, & pendulus hæret.
Ter mugit, quaſſatque caput, rapidoque rotatu
Corpus agit circùm furibundus; ter ſonat aura,
Ter fruſtra planctu montes, ſua regna, reſultant:
Spuma rubet, ſtillantque undanti ſanguine nares.
SIC, ut Roma refert, Sanctus Dunſtanius olim
Candenti magnum prenſavit forcipe naſum
Luciferi; Hic vaſto prorumpit ab ore tenebras
Turbidus, inque atrâ liveſcunt ſulphura nube:
Ter mugit, ter dira rudit, vocemque profundam
Cum gemitu attollit; ter fruſtra ſquallida regna
Reſpondent Domino, planctumque retorquet Avernus;
Stridet olens, fumatque ingens ſemiuſta proboſcis.

FR. KNAPP, *è Coll. Magd.*

PUGNA
GALLORUM GALLINACEORUM.

CUM patrias peterem ſedes (ſicut meus eſt mos,
Urbani ſiquando movet faſtidia fumi
Non ita gratus odor) quà duxit ſemita, planum
Introii campum, quem frondea ſcena ſupini
Cingebat

Cingebat nemoris, mediâque in valle Theatri
Circus erat: confuſam illic coiiſſe catervam
Invenio, admirans numerum, pueroſque, ſeneſque,
Et lectam pagi pubem, atque ignobile vulgus.
Qualis ad Alphei ripas atque Elidis urbem
Graiûm turba ruit, cùm jam ſolennia Regi
Cœlicolûm inſtaurat certamina; magnus ubique
Concurſus, lætoque implentur littora cœtu.
TALIA cernentem cunctandi inſueta cupido
Captat, & ignoti accendunt ſpectacula ludi.
Tum Præco (roſeum cui craſſi fæcula potûs
Inflabat vultum; atque olidi ſuffimine pæti
Halabat barba, & pinguem ſpirabat odorem,)
Imperii magnâ gaudens ditione, bacillum
Huc illuc quatit, atque omnem decedere Circo
Infuſum populum, & campos jubet eſſe patentes.
Ocyùs in cuneos glomerant, caveamque Theatri
Ingentem complent, latumque ſedetur in orbem.
HIS actis, duo, depoſito qui pignore certant,
Emittunt geminos texto de vimine Gallos;
Ambo pares, ambo Heroum de ſtemmate longo
Demiſſos; quorum cantantur bella per orbem,
Materies faſtorum, ævi & documenta futuri.
Hos dominus ſociis exemit uterque catervis,
Nec per agros ſivit, dulceſve errare per hortos;
Ne Venere abſumant natas ad prælia vires,
Aut alvo nimiùm pleni turgente laborent.
Sed rerum prudens penetrali in ſede locavit,
Et ſalicis circùm virgas dedit; inſuper ipſos
Cortibus incluſos tenero nutrimine fovit;
Et panem, mulſumque, genuſque leguminis omne,
Atque exorta ſuâ de conjuge præbuit ova,

Ut

Ut validas firment vires, pugnæque parent se.
Nequicquam jejuni urgent vestigia nati,
Poscentes lacrymis teneriſque amplexibus escam:
Vincit amor Gallorum, & avitæ gloria gentis.
QUINETIAM criſtas ipſis, caudaſque fluentes,
Et colli impexas secuit pulchro ordine plumas;
Ut rapido magis adverſum, quaſi veles, in hoſtem
Impete procurrat Gallus. Mox arte Magiſter
Juvit avem; quaque alma ſatis natura negavit
Roboris, ut tantis æquus se conferat auſis,
Arma dedit calci; chalybemque aptavit acutum
Ad talos, graviore queat quo ſurgere plagâ.
HIS armis inſtructi ambo, jam corbe patenti,
Quà data porta, ruunt, atque obvia pectora flictu
Committunt. Hæret pede pes, & vulnera crebri
Accipiunt redduntque, & terram ſanguine fœdant.
Nam modò ſanguineam criſtam, roſtroque prehenſum
Percutiunt caput; immani modò verbere tundunt
Urgentes utrumque latus, collumque fatigant,
Alter in alterius jactantes pectora ferrum.
Succumbunt pariter, pariter ſurguntque ruuntque;
Dant redduntque vices; nam cruribus addidit ingens
Vis animi robur, pugnæque arrecta cupido.
Magnus utrinque virûm fremitus: ſed amara fidelem
Cuſtodem, à teneris Gallo qui præfuit annis,
Cura movet, priſcæque ſubit pietatis imago.
Multa ſuper formâ recolens, ſuper indole multa,
Ut lateri comes & plauſis accurreret alis,
Deque manu ſolitam libaret molliter escam;
Tam chari capitis plagas ſaniemque fluentem
Ferre nequit: contorto humeros & brachia motu
Corripit, & durum perſentit conſcius ictum.

TAN-

TANDEM, cùm toto manârat corpore ſudor,
Et graciles labor immenſus laſſaverat artus,
Alter ab inſtanti paulùm ſe ſubtrahit hoſte,
Effugium ſimulans; multumque agitatus in orbem,
Eludit gyro interior: ſubituſque ſequentem
Devitat; fugit, ecce fugit de ſtercore natus,
Ad charam properans Venerem & tua bella, Cupido,
Vulgus ait: non ſic iratis paſſibus alter.
Ecce decem pono libras; Quis pignore certat
Dimidio? hunc alter tranſverſo lumine ſpectat
Gallorum mores multorum expertus & artes;
Tecum, inquit, contendam: ingens, illo auſpice, turba
Conſpirat, ſpretæque audet ſe jungere parti.
Interea vario Galli veſtigia flexu
Impediunt, texuntque fugas. Premit ille per orbem
Uſque inſtans, calcemque terit jam calce ſuburgens,
Et lateri incumbit; quin vires convocat alter
Interea, atque ardens redit in præcordia virtus.
Tum demum ſubito ſe proripit impete, & hoſtem
Evadit longè prior; at mox involat acer,
Convertitque vias, & verbere fervidus inſtat.
Ceu Parthus, dans terga fugæ, versâque pharetrâ,
Hoſtibus improviſus adeſt; turbata retorto
Agmina agit jaculo, & victor cedendo triumphat.
Confligunt iterum, totiſque in prælia nervis
Itur; & effuſo crudeſcit ſanguine pugna.
Tollunt ſe arrectos, & denſis pectora plagis
Perfodiunt, pulchramque petunt per vulnera mortem,
Immiſcentque pedes pedibus, bellumque laceſſunt.
Non cladem illius pugnæ, non vulnera dictis
Commemorare auſim; non, ſi mihi lingua fuiſſet
Mæonidæ atque os magna ſonans; qui, maxime murum,

Pſicharpax,

Pſicharpax, grandi cecinit tua prælia verſu,
Ingentes animos & vitæ prodiga corda.
JAMQUE ferè ſpatio extremo, finemque ſub ipſum
Adventant; feſſos tum creber anhelitus artus
Concutit; at, quanquam in mediâ jam morte tenentur,
Non tamen abſiſtunt, Martemve iramve remittunt
Magnanimi: impatiens vinci ſimul advocat omnes
Nequicquam vires, & inania vulnera miſcet
Nobile par Gallorum: hîc laſſis arida ſenſim
Genua labant, nervi languent, & victus uterque
In mediâ pariter jacuit reſupinus arenâ.
Ac veluti Brutus, ſoboleſque infenſa Superbi
Acer Aruns, ſolos ſeſe in certamina Martis
Poſcebant, & multa urgentes vulnera collo
Inflixêre, humeriſque, & pectoribus hirſutis:
Jam loca vulneribus deerant, pariterque cadebant
Confoſſi, placidâque ibi demum morte quiêrunt:
Sic plagis feſſi atque æquo certamine Galli
Demiſsâ ſimul ad terram cervice feruntur;
Vitaque cum gemitu fugit indignata ſub umbras.

Jo. FREIND, *Ædis Chriſti Alumnus.*

GIVETTA ARDENS.

B. DUM Bellona furit, dubioque in cardine rerum
Hærent ſuſpenſi Reges, paſſimque per urbes
Nuncia fama ruit; cur non (quoniam hoc datur o î,
Colloquiiſque vacat, cur non) ſermone viciſſim
Ludimus

Ludimus innocui, & labentes fallimus horas ?
L. Recta mones; tamen unde novæ argumenta loquelæ
Sumamus ? Tu, ſi quid habes, profer. (L.) Novitatem
Polleo ego; nam hanc ſemper amavi, & plurima legi
Scripta viri inſignis, qui alternis prœla diebus
Exercet, variâque implet novitate popinas;
Hunc multoſque alios ſemper lego. (S.) Totus in illis ?
L. Totus in his, fateor; quis enim tam divite venâ
Eloquii præpollet, & æquat prœlia ſcriptis ?
Ut meminiſſe juvat bellum exitiale Namurci,
Et fuſas Turcarum acies ad mœnia Budæ,
Rubras Hungariæque acies, ubi turbidus Iſter
Veloci curſu flaventes torquet arenas;
Ingentes etiam memini Rheno duce pugnas.
B. O lepidum caput, atque inſulſo fidere natum !
Siccine cuncta notas, ut Rheni molle fluentum
Eſſe virum credas ? (L.) Tu, ſi quid rectius iſtis
Noveris, imperti. (S.) Mitte hœc, & ad altera tranſi:
En conjuratos in regia fata latrones !
L. Res horrenda ! (B.) At carnifici hœc tractanda relinquo.
S. Tu quoque carnificem caveas. L. Hunc fama recenſet
Inſignem pietate virum, & ſuper omnia juſtum
Servantemque æqui; at notum mihi nomine tantùm.
L. Sitque ignotus adhuc moneo. (B.) Quid in hiſce moramur ?
Altera res agitur, jactatque per oppida rumor
Mœnia Caletana, exardentemque Givettam.
L. Caletum novi; jampridem audita Givetta eſt:
Singula ſcire velim, & rem totam ex ordine geſtam.
B. Sit meus iſte labor, cupio; namque omnia ad unguem
Nota mihi, memorique manent in mente repoſta.
Hîc firmo Lodoïx fretus munimine valli,

Fœcundam

Fœcundam poſuit meſſem, Cerealia dona,
Hordea, frumentumque, &, equorum pabula, fœnum,
Terræ incrementum, bellíque alimenta futuri.
Sed fruſtra impletur flavo teres area culmo,
Et plenâ conferta gemunt granaria meſſe.
Wilhelmi auſpiciis Athlonius advolat Heros,
Ultricemque jacit flammam, & ſpem ludit inanem.

L. Quis tamen ille Heros? anne è noſtratibus unus,
Strenuus aut Rhodani potator, an accola Rheni?

B. Quæ regio in terrâ illius non plena laborum?
Siccine nota tibi, rerum ſic lecta novarum
Scripta? hic eſt miſeris notus Ginklëus Hibernis,
Quo ducente, rubros hoſtili ſanguine campos
Fugêre attoniti Celtæ; atque ultricibus armis
Contemptor Divûm Ruthrus (inſatiabile monſtrum)
Occidit: ille etiam clauſos in mœnibus hoſtes
Fudit, cognomenque evictâ ex urbe recepit.

S. Fas mihi nota loqui, ſeriemque evolvere rerum;
Fas bella ordiri, quæ cuncta miſerrima vidi,
Et quorum pars magna fui. (L.) Quis funera tanta
Explicet, aut poſſit verbis æquare laborem?

S. Vidimus attonitis jaculantem mœnibus ignem
Militem, & ardentes immiſto ſulphure glandes:
Vidimus ad ſumma exurgentes culmina flammas,
Dum ſimul ignis equos, & equorum pabula torret;
Una domos dominoſque, boveſque boumque labores,
Pulverulenta rapit flamma, & furit æſtus ad auras.
Plebs confuſa ruit, fugiuntque per oppida cives,
Vitantes ignem: mox corripit acrior ignis;
Undique terribiles flammæ, exitiumque coruſcum,
Splendenteſque ruinæ, & latè fulgidus horror.
Nota petunt miſeri, ſed vana, levamina cives;

Amotas

Diſruptos muros, ſublataque culmina tectis,
Avulſumque pavimentum, nudataque terræ
Viſcera conſpexi, ut violentum ponderis ictum
Excipiat molli amplexu, gremioque recondat.

L. Sic Parthus bellum devitans opprimit hoſtes
Incautos prudente fugâ, & cedendo triumphat.
Unde tamen jactat diſtantes machina flammas,
Edoceas, & qui tantos vigor excitat ignes.

B. Ferrata impoſito volat ardens ſulphure concha,
Longum ſyrma trahens; ſcindenſque in nubibus arcum,
It furiale rubens. (L.) Pavidum ſic territat orbem
Stella minax, volitatque accenſo crine Cometes.

S. Sed nec Stella magis fatali exæſtuat igne.

B. Illa cadens tremulam vaſto quatit impete terram,
Ingentique boatu dirupta evomit ignes,
Et quaſſa elidit ſolido fundamine tecta,
Evertitque domos: nunc mortis mille figuras,
Semiuſtoſque artus, & ſingultantia corda,
Et gemitus morientûm audires: cuſpide miles
Depoſitâ tremit, & cæcam penetrare cavernam
Secretoſque locos quærit: quin protinus altas
Machina perrumpit latebras, & terra dehiſcens
Involvit trepidantem, avidoque abſorbet hiatu.

S. Surgentem ad flammam paleæ volvuntur inanes,
Flaventeſque rubent ſegetes, ſtipulæque volantes
Ardent, & crepitant victricibus hordea flammis.

B. Sævus ubique furor, regnatque per oppida luctus
Triſtia, virgineiſque choris gravis incubat horror.
Undique diffugiunt tremulæ per compita nymphæ,
Pulchra cohors, nec jam verſato mollia fuſo
Penſa trahunt, agilique manu ſubtemina ducunt.
Territa quin refugit ſubitâ formidine virgo,

Inque proci gremio jam primùm blanda recumbit.
L. Crudeles flammæ, ſaltem violare puellas
Parcite; non iſtis meruerunt ignibus uri.
S. Vidi ego per vicos trepidum genus omne virorum;
Hinc natum exanimem deflet pater, inde maritus
Languentem tenet uxorem; charique colonus
Spem gregis amiſſam luget, vacuoſque labores.
B. Ingenti mox templa ruunt collapſa ruinâ,
Relliquiæque, cruceſque ardent, & ſacra ſupellex
Ignatî, fumantque novis altaria flammis
Everſa, & juxtà pinguis jacet hoſtia Flamen.
S. Hinc Monachum vidi abdentem timida ora cucullo,
Signantemque manu pectus; tremulâque libelli
Exciderant pavitanti, & ſancta roſaria, dextrâ.
L. Mira refert. (B.) Haud vera refert. (L.) Ficta, omnia ficta;
Nam certum eſt nil tale meos memorare libellos.
S. Méne putas curare tuos, ignare, libellos?
Improbus iſte Author nunquam vel nomine tantùm
Me notat, aut narrat, quæ geſſi, ingentia bella.
B. Parciùs ingenuis obtrudas iſta memento.
S. Sed vidi majora; ambabus Belga diotam
Dum tollit palmis (heu lamentabile fatum!)
Excutitur patera, & fuſus liquor omnis, & ipſa.
L. Heu! quantus lachrymarum imber jam proluit ora!
Maluit hic altas rapuiſſe incendia turres,
Regaleſque domos, quàm ſic violare Falernum.
B. Ut ſervet calicem, proprium caput offeret igni.
S. Quin aliud, dictuque oritur mirabile monſtrum:
Helvetius graditur dum circum compita miles,
Torva tuens, fumoſque leves eructat in auras;
En! accenſa volat fax, & ſtridente favillâ

Excutit

Excutit ore tubum ; furit atrox flamma per ora,
Cæſariemque plicatam urit, barbamque micantem.
Hic furibundus alit veſano in corde dolorem,
Solamenque recuſat, & ultro trajicit enſe
Pectora, nec poterat barbæ ſupereſſe crematæ.
B. O frontis perfrictæ hominem! non te pudet horum?
Non hæc Ferdinandus habet, nec talia fingit
Pagina Mandevillî. (L.) An Mandevillius ille eſt,
Qui varios hominum mores deſcribit, & urbes?
Hunc ego perlegi, miratus ſæpe virorum
Ingenteſque pedes, ſummoque in vertice ocellum.
Certè hic nil fingit. (S.) Nec ego; tamen invidus ille
Rumpitur invidiâ. (L.) Et rumpatur. Nonne aliud quid
Vidiſti? nam audire juvat; fas viſa referre.
S. Dum gladium femori, atque aurata monilia collo
Accingit, pyrioque refertas pulvere thecas
Circum humeros jactat Gallus, victorque pererrat;
Scintilla exiguo ſuſcepta foramine thecæ
Sulphureum accendit globulum; furit ilicet ignis,
Horrendumque tonat; rapitur ſublimis in auras
Fumantes, nigroque levis volat æthere Gallus.
Mox cadit in terram diſcerptus membra; revulſus
Hîc humerus jacet, inde caput, ſparſumque cerebrum,
Exta ſuumque petunt vel adhuc ſpirantia truncum.
Vidi —— B. Quin parce auriculis; tibi copia fandi
Sat conceſſa diu. Dum tot ſpectacula fingis,
Res ipſa eſt dubia, & minuunt mendacia verum.
L. Quales ille locos, & quæ miracula vidit?
Quin vos ite, leves nugæ, chartæque novorum
Repletæ, & rapiant numeroſa volumina flammæ.
Tu mihi ſolus eris liber, & tibi talia geſta
Narranti totis gaudebo vacare diebus.

S. Aſt ego quàm vellem præſentia cuncta tueri!
Quàm cupio ſpectare iterum galeaſque nitentes,
Armaque ſanguinea, & fulgentes ære catervas,
Oppidaque everſa, atque undantem pulvere fumum!

B. Pergite vos, Juvenes, & nobilis excitet ardor
Ingentes animos: ite, & per bella ruentes
Igneus impellat vigor, atque interrita virtus:
Atque, huc detulerit varios ubi fama labores,
Magnanimoſque auſus, celebrabunt prælia Muſæ,
Et veſtra hoc olim reſonabit facta * Theatrum.

Honorat. { CAR. BERTIE, RICH. STEWART, STEPH. LENNARD, *Baronetti Fil.* } *Ædis Chriſti Alumni.*

In NATALEM PRINCIPIS *WALLIÆ.*

O Surgens Britonum decus! O animoſa ferocis
Rinaldi ſoboles! O ſpes extrema STUARTÛM!
Te tandem tardo ſudans molimine finxit,
Te tandem teneræ indulſit Lucina Parenti
Solamen, pretiumque moræ: Tu fata Tuorum
Pendula, lapſuramque domum, dubioſque penates
Æternùm firmas; & avitum extendis honorem.
Tu triſtes fratrum cunas, urnamque frequentem,

* Ubi hoc poema publicè proferebatur.

Et

Et cineri aggeſtos cineres; generiſque rependis
Cæſarei clades, & iniquum abſolvis Olympum.
NON etenim fruſtra plorat Berecynthia Mater
Triſte puerperium, natoſque in patre ſepultos:
Cùm tandem vacuis ſuccedat Jupiter ulnis,
Fataque venturo præludant ſæva Tonanti.
TU, dilecte Puer, meliori conjicis urnâ
Adverſas Britonum ſortes; niveaſque refundis:
Te Mavors veniente ſilet: ſilet horrida latè
Seditio; &, vanæ metuens ſe credere pugnæ,
Victa ſedet, Pueruimque timet civilis Enyo.
Aſpice compoſitam Tethyn, requiemque profundi;
Nulla Caledonio tempeſtas ſurgit ab axe,
Nec lenes iterum Sabrina exaſperat undas:
Pax belli immemores Brutos, Gracchoſque ſilentes,
Pax Cinnas, Marioſque tenet; Pax omnia circùm
Temperat; & placidam cunis prætexit olivam.
Sic ubi terræ ignis, ponto ſe ſubjicit aër,
Nec ſervant elementa fidem, nec fœdere certo
Se male diſpoſitæ ſociant vaga ſemina Deli;
Firmat Apollo lares, & nati conſcia Phœbi
Inſula dediſcit bellum, & ſolidata quieſcit.
NON, auguſte Infans, non tantùm limina Jani
Clauſa colis, paciſque ſtudes inglorius arti;
Te primis etiam finget Bellona ſub annis,
Et teneram accendet mentem, Martiſque docebit
Dura rudimenta, & rigidi ſtudia aſpera belli.
O animoſe Puer, quo Te per inhoſpita ſaxa,
Trans Rhodani fluctus rapiet, trans oſtia Rheni,
Famæ dulcis amor, dubiiſque interrita virtus?
CRESSIACAS iterum lauros, Britonumque ſepultam
Extendes famam; Tecum numeroſa Garumnæ

Tranabit fluctus, aut ſcandet juſſa Pyrenen,
Anglorum pubes; & fors numerabor in illis.
Tu modò, Cura poli, & Gentis ſpes una Britannæ,
Alme Puer: ſi fida Tuis Majoribus olim,
Si ſemper Rhedycina fuit; ſi adverſa rebelli
Se turmæ oppoſuit; ſi præbuit ubera Patri;
Et Tua ſolenni canit incunabula verſu:
Tu ſacras tutare arces, immotaque Phœbi
Mœnia, Muſarumque domos, Araſque perennes.

VINCENTIUS CORBET,
Baronett. ex Æde Chr.

Carmen excerptum ex Strenis Natalitiis Acad. Oxon. e Theatro 1688.

In NATALEM PRINCIPIS *WALLIÆ* ODE.

Excerpt. ex Strenis Natalitiis Acad. Oxon. e Theatro, 1688.

NON ære rauco facta tonitrua,
Non ordinatæ per laquearia
Feſtæ Lucernæ, non renidens
Ignibus innumeris Platea,
Bono Diei tam memorabilem
Addunt honorem, quàm brevis arbitræ

Plauſus

Plauſus Camœnæ, nec Latinâ
Arte carens genioque verſus.
Tuos labores, magna Puerpera,
Novamque Prolem non morientibus
Mandabo chartis, quas futuro
Poſteritas leget omnis ævo.
En, auſpicati murmura Barbiti
Auditis? O tu, juſta Superbia
Parentis Auguſtæ! O Beati
Maſcula progenies JACOBI!
Quando innocentes corpore firmior
Cunas relinques? quando minoribus
Exibis annis, & virile
Ingenium capies ab ævo?
Tunc fortè noſtras nobilis incola
Intrabis Ædes; ut teneram indolem
Pauliſper apponas togatæ
Ingenuis ſtudiis Minervæ.
Hîc, civitatem quis deceat ſtatus;
Hîc diſputabis, quem teneat locum
Romana virtus; quos crearet
Sparta viros, faciles perire:
Quid Marte Pyrrhus, quid Fabius morâ
Poſſet, quid urbi proximus Hannibal,
Diſces: Et evolves Tuorum
Facta Patrum, bene nota Famæ.
Vacante quodam tempore, forſitan
Hæc ipſa de Te carmina publica,
Hæc ipſa lecturus requires:
Ah, quid ab hoc calamo profectum,
Meiſque Muſis & tenui lyrâ,
Placere tanti judicio Viri
Valebit?

Valebit? ah, quantum pudorem
Exiguæ facies Camœnæ?
Nec tu Poetas, gloria ſeculi,
Contemne, Princeps, aut Citharæ ſonum:
Per quam tot Heroes repôſti
Sedibus æthereis quieſcunt.
Theron, & Alcon, & Chromius vagæ
Doctus quadrigæ, & Diagoras pugil
Omnes in æternum jacerent
Sub tenebris, & honore caſſi;
Ni digna cœlo nomina Pindarus
Verſu fideli munierat ſatis,
Miſertus illuſtres amicos,
Atque dati breve tempus ævi.

GEO. DIXON, *Ædis Chriſti*
Superioris Ordinis Commen.

JUS PILEI
OXONIENSIS.

A. QUID nos, O ſocii, ignaros conſcendere roſtra
Impulit, aut quorſum cum tanto vulgus hiatu
Intenti ora tenent, arrectiſque auribus aſtant?
Neſcio ego prorſus rem omnem. (C.) Concedimus ultro.
B. Carmina ſunt dicenda; ſed O quis carmine pollet?
A. Polleo ego; mihi nam dulces ante omnia Muſæ:
Et patriâ quoties jacuit neglectus in aulâ
Quarlus, & ingentis carmen ſublime Witheri,

Arripui

Arripui fervens, & pernox ſæpe relegi,
Exhauſique acri ſtudio ſacrata puellis
Carmina Pieriis, & multâ digna lucernâ.

C. Digna quidem; ſed quæ tantùm lychni graveolentem
Involvant adipem; At multum tibi debet Apollo,
Qui ſtupidum memoras tantâ cum laude Witherum:
Verùm age, quale potes, cudas miſerabile carmen.

A. "Salve O magna cohors; mihi vos nunc contemplanti
"Major lætitia eſt in pectore, quàm fuit antè.

C. Audis? (*ad* B.) Muſa redit multùm irridenda Cuculli,
Atque iterum rhythmo tinnit Romana poëſis.
I (*ad* A.) miſerande, Gradum ad Parnaſſum conſule, venâ
Ut diſcas comptum meliori educere carmen.

A. Túne mihi gnaro præcepta hæc ingeris? iſtum
Túne jubes volvendo librum renovare labores?
O mihi poſt nullos unquam memorande poetas
Magne Gradus! non te valet exuperare canendo
Flaccus, non vincit divinæ Æneidos autor.

C. Nimirum hic iſti par eſt ſapientûm octavo,
Judice quo FINIS præclara volumina ſcripſit.

A. Sed quid me numeros, quid verſus fundere coget,
Narret Apollo mihi. (C.) Fiet tibi verus Apollo,
Dicere qui verſus coget; nam pectora circum
Serpit torpor iners, & nubila tempora lambit.

A. At tu (*ad* B.) qui ſpondes mirâ gravitate Catonem,
Dic, precor. Hic (*ad* C.) tantùm nugas effutit inanes
Ludicer, & captat jocularis ſcurra cachinnos.

B. Pileus invitat, merces ea carmine digna eſt.

A. Pileus? (B.) Et verſus quia res & tempora poſcunt,
Dicite materiam quam ſumitis? (C.) Id tibi (*ad* A.) dicam,
Si paulùm auſcultes; tua Phyllis decantanda eſt,

Phyllis, quæ niveo vultu, quæ lumine molli
Scintillas jaculata, accendit nuper amantem.
A. Heu! mea rure procul Phyllis ſuſpiria ducit;
Me vocat abſentem Corydona, auditque videtque.
Sed quid ſi major ſurgat mihi carminis ordo,
Et magni aggrediar Gulielmi pangere laudes?
C. Ingenium Batavum non æquat Cæſaris acta,
Aut animum invictum Gulielmi, & nobile robur.
Te potius, Mævi (*ad* A.) ſatyrâ ſtringemus amarâ,
Qui miſerum in roſtris audes diſperdere carmen.
B. At nunc materies me judice verſibus apta eſt
Pileus, & criſtæ non enarrabile textum.
A. Pileus? Hem quid vult ſibi Pileus? Eſtne poeta
Hic, aut Mæcenas qui vati præmia ponit?
B. O cæcas hominum mentes quas devius error
Implicat! At te, (*ad* A.) ſi advertas, meliora docebo.
C. Hei mihi! Baxterus ſermonem orditur ineptum.
A. Pileus ex tenui compacta eſt fabrica ligno,
Quam nigro indutam panno, formâque quadratâ
Inſignem, exornat mediam bombycinus orbis,
Grande decus capitis. (C.) Sic nugis addere pondus
Aſſuetus quondam pinxit cochleare Zacutus
Concavo-convexum, cui cauda oblongula, per quam
Dextra tenax aliquod liquidum patulo inſerat ori;
Mirum inſtrumentum! (A. *ad* B.) Quis Dædalus arte peritus
Egregium hoc confinxit opus? terrarum ubi vivit?
B. Eſt locus oppoſitus ſedi, quæ ſurgit ad auras
Auſpiciis, Alurede, tuis ſacrata Camœnis;
Plurimus hîc protenſo in ſtipite pendulus hæret
Pileus; hîc plenus rimis, curtúſque galeri
Circulus, atque brevis ligno vix prominet orbis;

Quæque

Quæque genas vetulæ effœtas frigentis obumbrat
Pyramis aſſurgit; nec non ludibria ventis
Faſciculi pendent ſpirarum, & ſerica fila.
Hîc opifex ſedet, & magno molimine ſudat,
Nunc rotat in teretes orbes priùs igne paratum
Vellus, nunc lignum molitur ſutile, quod mox
Pileus evadit. (A.) Memini, nec plura requiro;
Sæpe equidem vidi artifices, & Pilea vidi;
Sed non fronte geram. Tali me tempora cinctum
Tegmine, ſi procul aſpiciat, mox turba boabit,
En pecus Ignatî! correptáque protinus œſtro
Romanæ infamem avellet Meretricis amictum.
Præterea indignè patior dicteria vulgi
Ridentis juvenes quadras in fronte gerentes.
C. Unde tibi quadra diſplicuit, quem ſemper edendi
Urget amor, fartumque juvat, taurinaque coſta?
Quem ſæpe, in morem Trojanum, abſumere menſam,
Et violare manu penuria adegit edendi
Dulcis cruſti orbem, patulis nec parcere quadris?
A. Quiſque dapes amat: At major me cura fatigat,
Me pretium movet, & ſpecies formoſa galeri,
Cui nitor egregius, quem circum argentea ſpira
Ludit, & ardenti ſubnectit fibula gemmâ:
Tale decus capitis mihi mens geſtare ſuperbit.
B. Heu quantùm neſcit fatum ſortemque futuram
Mens hominum, quoties faſtu turgeſcit inani!
At tibi tempus erit, cùm nunquam emiſſe galerum
Optâris, quo jam frueris gaudeſque potitus.
A. Dii, prohibete minas! quale omen præſcius Augur,
Quod tempus fatale canit? (C.) Gadburius alter
Mœſti Carolidæ reditum, Auriacique ruinam
Præſagus miſeram cantat (B. *ad* A.) Dum fortè galero

Tectus

Tectus nocte domum petis, & non amplius ingens
Campana attonitas tinnitu verberat aures;
Occurrit subitò facies invisa Magistri,
Cui manicas villosa exornant vellera Serum;
Hunc fugis: hic sequitur, dextrâ jam jamque tenaci
A tergo prensat, dictis simul increpat ultro,
Et, licèt invitum, nomenque domumque fateri,
Et manè accitum nummos deponere cogit;
Plurimus haud tanti constabit Pileus, anno
Emenso, quanti pretiosi mulcta galeri.

A. Hunc olim, ut memini, jussit vitare magistrum
Me Pater; At quid? non aliâ ratione parandus,
Carminibus solis debetur Pileus? (B.) Haud fas
Nobis Aoniæ leges mutare catervæ;
Sic statuunt Musæ. (A.) Ergo omnes, quos undique cerno,
Tali apice insignes, recitârunt carmina rostris,
Doctoresque, magistrique, atque his proximus ordo?

B. Paucos Musa beat; sed queis non dexter Apollo
Dat citharam & numeros, Gradus his dat Pilei honores.

A. Quid meus ille Gradus, qui Phœbi numine complet
Lectorem, & gemina ad Parnassi culmina ducit?

B. Non tuus ille Gradus, qui vatum fragmina profert;
Sed doctrina ingens, sed longi temporis ordo
Pilea concedit, frontísque insigne decorum.

A. Nullo igitur fas est mihi tegmine cingere crines?

C. Tegmine non opus est; solido confide cerebro.

B. Ordo ut se variat, variatur Pileus; est cui
Plana superficies, quem non teres ornamentum
Distinguit medium; capiti alter flexilis hæret
Qui tibi debetur; sed turba jocosa placentæ
Assimilat. (C.) Quid si? non huic odiosa placenta est.

B. Alter adhuc restat rigido subtemine crassus,

Qui

Qui pinguis nitet, & ventos contemnit & imbres;
Talem haud geſtabis. (A.) Talem nec forcipe tangam.
C. Sed tanges olim, cùm legum ænigmata diſces,
Tum teget hic crinum vibratos ſordidus orbes
Pileus. (B.) At diverticulo ſat luſimus omnes,
Eja agite ingenti celebremus Pilea laude.
A. Opportuna mones; quin tanto lemmate dignum
Sublime incipiam carmen; narrate puellæ,
Qualia Muſa ſuo largitur præmia vati.
Poſthac non vulgaris honor mea tempora cinget,
Nec meritâ meliora galeri inglorius orbis
Fronte ſuper ſurget; decorat me inſigne poetæ
Pileus, & cono undanti par ſericus orbis:
Hunc gerit indutus Tyrio velamine Præſul;
Et Judex, quoties vitas & crimina diſcens,
Quæſitor movet urnam, & librat fata reorum.
Quin licet arripere hinc omen; labentibus annis
Fortè dies veniet, cùm Judicis ora gerentem
Me videas; mihi namque olim chariſſima mater
Demulcens caput, atque attollens lumina cœlo,
Det tibi felices, det multos Jupiter annos,
Inquit; fortè olim, ni me præſagia fallant,
Æquus eris Judex, Tyrioque nitebis in oſtro.
C. Tu Judex? potius tu coram Judice ſtabis
Conſcius. (A.) At tu, (*ad* C.) ſi ſapias, compeſce labellum,
Si pergas inſanire, haud me impune laceſſes.
B. Ne bilem moveat, quicquid tibi dixerit ille; (*ad* C.)
Perge opus exigere. (A.) Ipſe libens mandata capeſſam.
Eſt mihi, quod ſoli docto geſtare licebit:
Sæpe togâ indutus pinguis ſtupet Aldermannus,
Et verrit longo Bollanus ſyrmate terram:
At tales cerebro vacuos ut Pileus ornet,

Non

Non Dii, non homines, non conceſſêre Camœnæ.
Me potiùs decet hic, Me tali dignor honore,
Carmina qui fundens Helicone undantia pleno
Præripui cunctis palmam, meruique coronam.
C. Sic Corydon, cùm nemo audet ſe credere pugnæ,
Victor ovat, magnos artus, magna oſſa, lacertos
Ventilat, & baculum; capulumque, & cingula tollit.
Sed novi, quantum dabit hæc victoria faſtum:
Per vicos videor gradientem cernere, ocello
Phyllidas obliquo ſtringis, ſiqua obvia nympha,
Pileus exuitur, deflexo corpore, dextrâ
Tangis humum; rurſumque caput tectum arduus effers.
Mox dominam accedis (ſiqua eſt quæ torret amantem)
Huic, poſtquam fruſtra effudiſti mollia verba,
Oſtentas tumidus quadratum frontis honorem,
Et miſeram laſſas verſus recitando puellam;
Illa tamen raucum medio in ſermone relinquit,
Et ridet Cottæ ſurgentem in vertice criſtam.
B. Parciùs hæc: nocuêre jocoſæ ſcommata linguæ;
Quin me jam ſinite huic ſermoni ponere finem.
Non nobis favor, aut annorum inglorius ordo,
Sed vis ingenii exortes conceſſit honores.
Poſt vigiles curas, & tædia longa laborum,
Et pene eroſos repetitis morſibus ungues,
Dum rudis excolitur magno conamine verſus;
Donamur tandem dignâ mercede laborum,
Et mox, qui fluitat congeſtâ vulgus arenâ,
Ingenti unanimes quatient ſubſellia verſu:
Sic ducis egregii victricia tempora laurus
Cingit, dum læto celebrat clamore triumphum
Vulgus, & herois laudes ad ſidera jactat.

G. ADAMS, *Ædis Chriſti Alumnus.*

DESIDERIUM GULIELMI.

HORATIUS, VIRGILIUS, FANNIUS.

H. QUO, Maro? quas tacito tecum ſub corde agitas res,
Plus ſolito triſtis? fidam deponere in aurem
Ne metuas, ſeu te pulcherrima Niſa tenet jam
Devinctum, ſeu formoſus faſtidit Alexis.
Fare age, quod doctâ meditaris arundine carmen?

V. Hæc olim, dum tempus erat, Venuſine; canentem
Dum fovit, ſtudiiſque dedit bonus otia Cæſar;
Nunc abiit meus ignis, abit ſimul omnis avenæ
Cura Syracoſiæ, vel quicquid, Amice, facetum,
Quicquid molle meæ poterant, te judice, Muſæ.

H. Quid caſtris agitur, quo res Romana loco ſtat,
Et ſatis audivi, & novi te valdiùs; at me
Sollicitum curis ſolvit generoſior uvæ
Conſitor, atque alacres animo ſpes paſcere juſſit.
Ac tu, dulcis Amice, potes ſi cedere Flacci
Lenibus imperiis, accedas ſiccus ad unctum,
Et mecum argumenta doloris ſeria fallas.

V. Ah! tecum faciles habitant ſub pectore riſus,
Et leviore micant agiles tibi ſanguine venæ.

H. Quinetiam nos & ſapiens horti ille magiſter
Edocuit, ne fortè animo quid triſte ſederet,

Quæque

Quæque ferat cras, negligere, & præſentibus uti.
V. At me, Natura induſit cui parciùs ignem,
Quemque infelici Saturnus temperat aſtro,
Ingemere, & triſtes animo ſine volvere caſus.
H. Quos caſus? quòd regna tuus jam barbara Cæſar
Invadat, ſuperet quòd inhoſpita ſaxa Niphatis
Armenios Romana daturus ſub juga Victor,
Tonſores, inquam, norunt; jampridem ego fidens
In reditum Domini perituram paſco juvencam.
Imò etiam fauſtum ſignavi carmine votum,
Divis orte bonis, & quæ tu cætera, ſi mox
Lætior explicuit frontem tibi Bacchus, habebis.
Tu tamen interea tua ſobria, quamque ſecas ſpem,
Et quid pro charo voviſti Cæſare, profer.
F. Nobile par Vatum, quos largè flumine ſacro
Bellerophonteis fovit Thymbræus in antris,
Gratulor, & ſociis commendo χαῖρε poetis:
Nam me Phœbus amat, me irroravêre liquores
Fontis Dircæi, & miranda poemata pango.
H. Imò ſatis miranda. (V.) Quid hic molitur hiator?
Nôſti hominem? (H.) Nimiùm novi, ex quo numine lævo
Ibam fortè viâ ſacrâ. (F.) Me, vir bone, dicis,
Ignoras? ergo ignotus tu vivere Romæ
Argueris; mea latè effulſit gloria, cùm te
Villula celavit miſeræ vicina Cremonæ.
Piſo me Variuſque colunt; nam non modò verſus,
Sed Vates facio, & me jam vox publica cotem
Proclamat ſcriptorum. (V.) Alios quia reddit acutos?
H. O minimè, tantùm quoniam exſors ipſe ſecandi,
Fannius hic eſt, quem vano conamine dixi
Concluſas imitari hircinis follibus auras.
Sed fatuè libros alienos increpat, audet

Et

Et Mæcenati nugas offerre ſonoras.
F. Quas chorus obſervare per interludia leges
Debeat, oſtendi Latio, quo errore laboret
Pacuvius, clarique tragœdia grandior Accî:
Et Sophocleum unus doceo ſcribóque cothurnum.
H. Metra nimis producta: tuæ tamen, inclyte Fanni,
Conſtringi nequeunt breviori limite laudes.
Virgilio ſed cede parumper; Cæſaris ille
Orditur laudes, & jamjam mente volutat,
Quæ pugnantis erit, vel quæ redeuntis imago.
V. Nec reges, Venuſine, meis, nec prælia regum
Sunt Muſis tentanda, ex quo mihi Cynthius aurem
Vellit, arundineâ nugari & juſſit avenâ.
H. Non ſatis hæc; nec tu ſic excuſatus abibis.
Uſque tenebo, rogandus adhuc ſi ſæpius eſſes,
Quàm meus Hermogenes oranti ſurdus amico.
V. Cæſare nil dignum noſtræ potuêre Camœnæ;
Pauca quidem luſi. (H.) Referas tamen illa, rogamus:
Nam neque nos numerare ſolemus carmina, nec te
Vel Laberî cenſum, vel Fannî ſcrinia poſco.
F. Quid vero hoc? num me poſcis? cupio omnia quæ vis.
H. Non ego. (F.) Seu poſcis, ſeu non, Nos Cæſare digna
Carmina condidimus, quæ non celabimus ultrà.
QUO, furibunde, ruis Nabathæas, Cæſar, in oras,
Perque nivis montes, per teſqua immania Tauri
Cogis iter durum impavidus; non Te inde profundo
Pigra lacu Tonitis, & hinc Artaxata terrent?
Et bene barbaricos referentia nomina mores?
Martis amans nimiùm jam ſub Jove vivis aperto,
Et vultum indomito torret tibi Sirius aſtro;
Teque Palatinâ non contemplabimur aulâ,

Donec

Donec triſtis hyems canâ nive conſpuat Alpes,
Urnigeri & Phœbus contingens limina ſigni
Imbellem e radiis ſpargat crinalibus ignem.
H. Siſte parum, Stentor, cave ne ſubſellia frangas;
Æquus jam ſua Virgilio permitte viciſſim.
V. Pauca inquam luſi, quæ nondum parte polita
In Flacci metuunt deſcendere judicis aures.
F. Sentio quid dicas, Jovis auribus omnia ſervas.
H. Et tu ſervâſſes utinam. (V.) Tibi cum bene, Fanni,
Ceſſerit, & nobis aliquid ſperare licebit.
CÆSAR, abis; quos non ardens in vota laceſſit
Roma Deos? quæ non donis altaria fumant?
Aula gemit vidua, & mœſti, Tua turba, Poetæ
Te veniente die, Te decedente requirunt.
Tu tamen interea, quà ſeſe plurima lethi
Obvertit facies, medios contendis in hoſtes,
Nec laurum ſine vulnere amas: deſiſte triumphis,
Si tanti nobis Aſiæ victoria conſtat.
Hanc Tibi pro charis curam mandabo Latinis
Præcipuam, illorum ut paulò Tibi cura recedat,
Cautiùs & ſævo velles Te credere Marti.
Hæret adhuc animo pugnam intentantis imago,
Cùm lectos bello comites claſſémque parares;
Cùm monitis precibúſque ferocem inflectere mentem
Certarent proceres, ſtudióque avertere belli.
Conſiliis fruſtra Mæcenas lenibus inſtat,
Et nullo Meſſala bonus ſermone movebat.
Talis Sidonias ultro rediturus ad oras
Regulus, obſtantes durus dimovit amicos;
Nec ſoror affatu molli, lachrymiſque decoris,
Nec moritura ſuper crudeli funere conjux
Detinuit, blandis humeros amplexa lacertis;

Vincit

Vincit amor Patriæ. Non illo ſegnior ibas,
Et tanta in torvo ſedit conſtantia vultu.
DIIQUE Deæque omnes, quorum ſub numine felix
Auguſti à primis adolevit gloria cunis,
Vos, queis Cæſareâ præclarum à ſtirpe Nepotem
Cura fuit ſervare, atque altè attollere famâ
Magnanimum Heroa, indigno dum cæca tumultu
Plebs furit, imbellique tumeſcit Caſſius irâ;
Si veſtris etiam auſpiciis ſub jura volentem
Accepit populum, palmam per tempora victor
Si geſſit, patruique cadentem à vertice laurum,
Extremum hunc oro, Dî, fortunate laborem,
Securumque Ducem per bella, per æquora Romæ
Reddite, nec miſeris nova condite fata Latinis.
Hæc ego: Dii firment. (H.) Equidem nil triſte verebor,
Si tuus illorum cantus referatur ad aures.
Me quoque vota eadem exercent, hæc veſpere ſero,
Hæc ego mane recenti, hæc ſiccus & uvidus opto.
V. Quin age, Flacce, lyram ſuſpenſaque fila reſumas,
Cæteraque expedias. (H.) Quos ergo incuria fudit
Verſiculos, quoniam ad mea me promiſſa vocâſti,
Incipiam, patiarque vel inconſultus haberi.
F. Expectare tamen, meliori & cedere debes;
Nam mihi corda calent; nequeo cohibere furorem
Phœbeum, & dominantem intus compeſcere Muſam.
ERGO ſacros Romæ parat ultima terra triumphos,
Jamdudum prono nutare cacumine Taurum
Cerno, & captivos Euphratem advolvere fluctus.
Fallor, an accepit domitus tua fræna Phraates?
Ecce pharetratus reddit vexilla Tonanti
Parthus, & Eois fulgent capitolia ſignis.
Jam dominos terrarum optatæ ſecula pacis

Longa

Longa beant, dum vincta manus civilis Enyo
Dente fremit, clauditque immota repagula Janus.
H. O Fanni, quicquid prædicas, aut erit aut non,
Eventum Superis permitte, & define plura:
Nam, ut verum fatear, nunquam donavit Apollo
Divinare mihi, vel credere divinanti.
V. Cæsar, in Armeniis potius sis finibus exul,
Quàm Romam redeas, illo cantante triumphos.
H. Nempe inter Parthosque sagittiferosque Gelonos
Tutus erat, nullumque accepit pectore vulnus;
Quorsum? quid refert ferro pereátne poetis?
F. Carpere grandiloquum, quem novit fama, poetam
Desinat, ac solido lassare in marmore dentes
Rusticus hic; (*ad* H.) & tu vini somnique benignius,
Si libet insanire tibi, mecum accipe chartas
Et calamos, videamus uter plus scribere possit.
H. Cedo; animi nam me finxit Natura pusilli
Exiguíque. (V.) Nec hæc arrident tempora musis;
Carmina tum melius, cùm venerit ipse, canemus.

GEORGIUS DUNCOMB,
THO. INGRAM,
THO. BENNET,
} *Arm. fil. ex Æde Chr.*

In

In PALUDES
AB
ORMONDO DUCE
SICCATAS,
Et Indigenas inde depulsos.

PHOEBE, decus cœli, puro qui lumine nubes
Disjicis & tenebras; admotoque igne vapores
Eliciens, ægro prohibes contagia mundo:
Huc ades, O Thymbræe, levi seu pollice plectrum
Concutis, illimem Cephisi acclinis ad undam;
Seu potior te Delphos habet, quà cærula stagni
Progenies Python squalentibus occubat arvis,
Testaturque Dei vires victoris & arcus:
ORMONDUM celebra, terris qui peste solutis
Eluit immissas sordes, atque aëra nimbis
Purgat, & Indigenas (immania monstra) fugavit.
HEU quantis modò fœta vadis, quibus arva natare
Vorticibus vultu mœrens spectabat Ierne!
Cùm fœdâ illuvie vastâque voragine campos
Impleret gurges circumfluus, obruta tellus
Delituit, multâque pudens caput occulit ulvâ.
Hæc loca (seu rerum Genitor, cùm fræna profundo
Injiceret, pelagusque suo jam clauderet alveo,
Ambiguum terræ liquit certamen & undis;

Seu,

Seu, duri ſiquando ſoli pars una ſtetiſſet,
Neptuni incubuit latè furor, arvaque & urbes
Stagnanteſque agros immiſſo interluit æſtu:)
Anceps forma tegit, campique incerta mariſque,
Uſque ſuum neſcit Dominum, cui fœdere certo
Pareat inſtabilis tellus, innabilis unda.
Haud aliam terræ faciem ſqualentibus ulvis
Explicat Aſphalti ſtagnum, Sodomæaque rura,
Dum populi ſcelus infandum, diroſque furores
Arva luunt, Stygiæ pariter demiſſa paludi.
Sæpe tamen viridi florentem ceſpite glebam
Aſpicias, glauco ſalices inſurgere campo
Gramineoſque toros & prata virentia muſco;
Fronti nulla fides, ſordenti plurima cœno
Colluvies ſubtus latet, atque immane Barathrum.
COELUM torpet iners, & multam turbidus aër
Cogitur in nubem; fœdo ſpiramine tellus
Humentes efflat nebulas, fumoſque volucres,
Triſte mali augurium, peſtique alimenta futuræ.
Huc vagus incertuſque viæ ſi fortè viator
Errat, & ignoto ponit veſtigia ſaltu;
Si ſubitò nox atra cavâ circumvolet umbrâ,
Eripiens palanti oculis cœlumque diemque,
Sæpe videt fatuum ſplendere paludibus Ignem,
(Sulphure vivaci prognatum atque unguine terræ)
Nocturnamque putans tædam, quam ruſtica conjux,
Æthere jam clauſo, ſuccenderat, uda per arva,
Saxa per & tribulos, rectus ruit; Illa volantem
Effugit, & longo cita deſerit intervallo:
Mentitæ tandem deceptus imagine flammæ
Igni fata ſubit contraria, præcipitanſque
Incidit in foſſas, animamque relinquit in undis.

QUIN

QUIN age, dira palus aliam intra viſcera peſtem
Nutrit, triſte genus; quo non feralius ullum
Tænareis irâ Superûm ſeſe extulit undis.
Indigenûm cuncti prærharo nomine gaudent,
Rhiphæô quondam gens ſubdita Bartholano:
Ille, novas quærens ſedes atque extera regna,
Ductor Hyperboreas hyemes, Tanaimque nivalem
Linquit, &, immani latè jam plebe tumentem
Exoneraturus Scythiam, deduxit in oras
Has ſecum comites, noſtrumque effudit in orbem.
Antiqui memor illa ſoli gens vivit, & abſens
Indulget patriæ; juvat uſque abrupta viarum
Vincere, & aëreos plantis tranſcendere montes
Præpetibus: nec adhuc Mæotidis immemor undæ,
Stagna colit, patuloſque lacus. Non oppida muris
Cingere cura ſubit, burive invertere terram,
Non ſanas habuiſſe dapes; ſed more ferino
Immundos ſorbent latices, paſſimque vagantes
Indomitum nullis agitant ſub legibus ævum.
Terribili os ſqualore riget; ſedet intus abactis
Ferrea lux oculis; turpi ſtat plurima mento
Sylva minax, totoque horrent in corpore ſetæ.
Uſque adeò Hibernæ timor, atque infamia ſylvæ
Turba ſtetit; non huic ſe quiſquam impune tuliſſet
Obvius erranti; circùm ruit agmine vaſto
Cuncta premens, latéque neces & vulnera ſpargit.
DUM videt ergo pius lugetque ORMONDUS Iërnen
Limoque immundo obſeſſam turbâque profanâ;
Haud paſſus torpere gravi ſua regna veterno,
Informi bellum ſtagnoque indicit & hoſti.
Nunc ſcatebras juvat innumeras ſulcoſque cavatos
Effodere, & putres ſcrobibus concidere campos.

Aſpiceres

Aſpiceres multo ſpumantem humore lacunam,
Effuſáſque vagis manare canalibus undas,
In pingues Boinæ latices, Moadique fluenta.
Omne ſoli excoquitur vitium; felicior agros
Aura fovet, Zephyrúſque tepens vivacia mulcet
Semina, ſubmerſoſque jubet revireſcere ſaltus.
Sic, ubi Lagæis Nilotica flumina campis
Detumuêre, ſuo jam ſubſidentia in alveo,
Ferventique recens induruit æthere limus;
Ridet flava Ceres, ſylvæque, & amœna vireta,
Jam ſplendent flores, jam formoſiſſimus annus.
MAJUS opus movet ORMONDUS; vocat altera magnum
Palma ducem, potiori incingens tempora lauro.
En ſicco gravis Indigenûm furit undique campo
Cœtus, & immani teneram pede deprimit herbam,
Ingentéſque notas calcatæ infigit arenæ,
Ereptum indignans limum luſuſque priores.
Tunc aliquis: Nobis libertas excidit olim
Vi Britonum, patriæque domus, dilectaque jura:
Quin putrem invideant glebam, craſſaſque paludes!
Immundis prohibemur aquis, cœnoque vetuſto!
At non amiſſo ceſſit fiducia ſtagno
Omnis; adhuc animus reſtat, virtuſque ſuperſtes.
Ergo agite, O ſocii — Conantem plura maniplus
Conſpectus de monte jubet deſiſtere verbis,
Et truncos rapere & ſeſe tutarier armis.
At nunc Connachii miſcentur pulvere ſaltus,
Immenſæque volant per prata Momonia nubes,
Æra micant, ſtrepitúſque armorum territat hoſtes
Jam propior, dirique canit præſagia belli.
Indigenæ primo obſiſtunt conamine latis
Fiſi humeris veterique odio: Mox Angla cohortes

Perrumpit

Perrumpit legio, & turbatis fundit in arvis.
Pars nemorum tenebras & nota cubilia quærit,
Et vitam pedibus mandat; cædem ulta ſuorum
Pars melior cadit, & moriens animam eripit hoſti.
In vicos alii paſſim volvuntur apertos
Sortiti effugium, ſedes ubi ſacra quietas
ORMONDI indulget pietas, ſi fortè ſubacti
Sylveſtrem exuerint animum, cultuſque neſandos.
Nec vanum ducis augurium: Furor omnis & atrox
Bilis abeſt, ſolitâque ex irâ corda reſidunt:
Mitior incedit populus, blanduſque videri,
Municipes gaudens amat, ORMONDUMque veretur.
QUÆ tantum, quæ digna canat pro laudibus iſtis
Fama virum! Priſcos taceat jam victa triumphos
HENRICIque manus, Feliciaque arma JOHANNIS,
Et quæ Strongbovii commendant nomina palmas;
Everſis illi tecta eripuêre ſolumque
Indigenis; rabiem & mores ORMONDUS ademit,
Feraleſque animos, & non tractabile pectus.

FR. HICKMAN, *Ædis Chr. Alumnus.*

PRÆLIUM NAVALE.

O Qui indignatus ſævum, GULIELME, tyrannum,
Fregiſti LODOICI iras, animumque ſuperbum
Imperium mundi meditantem: O Inclyte, belli
Artibus horrendis aſſuete, aſſuete triumphis,
Pone animos tandem, & munus, non aſper, egenum

Accipe, quod ducunt placidæ, pia turba, Camœnæ.
TE duce, jamdudum impoſitas Europa catenas
Detrectare auſa eſt: O quæ prima omina belli
Ipſe olim dederas! O qualem Boynia vidit
(Boynia ab Angliacis toties celebrata Camœnis)
Armis exultantem, atque inter prima frementem!
Dum laceros artus, atque ære rigentia membra,
Fumantemque cruore lacum, ſpumamque rubentem
Mirantur piſces; & mixtus fluctuat humor.
QUIN humeros violatum, & concuſſum impete glandis
Fulmineæ virtus (heu magnæ prodiga vitæ!)
Cautior impellat; vicini ſibila plumbi
Fatorumque memento minas, compeſce furores
Immodicos, animoque aſſurgant parciùs iræ:
Cætera jam permitte Tuis, GULIELME, Britannis;
Exemplo rediviva Tuo tandem Anglica pubes,
Torpeſcens requie, & dudum deſueta Trophæis,
Victrices captat laurus, Martemque fatigat
Inſolitum; atque iterum incendit præcordia virtus.
Jam vetus Anglorum robur, geniumque priorem
Æquora teſtantur, Gallorum infecta cruore,
Quaſſatæque rates, & adhuc fluitantia membra.
En! cerno, ut belli horrendus ſeſe explicat ordo:
Longa ratum ſeries utrinque excurrit in æquor,
Fœta viris, ſubterlabenti plurima quercus
Incumbit latè pelago, ingenteſque carinæ,
Sylvarum ſpolia: exploſo tormenta metallo
Continuò furere, & gravidæ concurrere turres,
Ventorum labor: & tota æquora fervere bello.
UNA ſuper reliquis Gallorum puppibus ingens
Eminet, ipſa nemus; ſubjectos pondere fluctus
Opprimit ignoto, veliſque tumentibus omnem

Includit

Includit Boream, & centeno fulminat ore.
Hanc petit uncta pice, & fœcunda bitumine puppis,
Cui flagrans onus, & flammarum dira supellex
Ventre latent, nigrisque furit tota Ætna cavernis:
Frustra instant Galli, & longè detrudere certant
Hærentem lateri pestem; circùm ignea sævit
Tempestas, spargitque incendia, & evomit atrox
Undantes fumos, & olentem sulphura nubem;
Mox totam involvit classem, torretque ululantem
Turbam, & fumantes miserè depascitur artus.
SIC flammæ irrodunt, & inextricabilis ardor
Multa recusantem & convicia dira vomentem
Enceladum; frustra imposito sub monte resurgit
Obluctans, tostosque humeros, semiustaque membra
Erigit indignatus, & ingens vincula quassat.
JAM maria effractis latè confusa ruinis,
Truncatosque artus, & vasto turbine plumbi
Nutantem videas classem; freta lucida flammis
Ardescunt, stridentque immersis ignibus undæ:
Sed Galli glomerare fugam, sed spumea latè
Æquora subverti, crebrisque albescere sulcis.
Jam, pelagus quacunque udis amplexibus orbem
Circuit, & salsos producunt æquora tractus,
Neptunus Tibi pandit iter, Tibi serviet omnis
Æolus, & domino Tibi subjicit Amphitrite
Imperium maris instabile, atque natantia regna.
Mox quoque tota Tuis cedet, GULIELME, triumphis
Gallia, quà multo passim fœcunda Lyæo,
Nobilior gravidas vindemia turget in uvas,
Purpureasque coquit solis vicinia messes.
Ad bellum Lodoix minùs ardet, numina pacem
Exorat timidus; jam vota capacia mundi

Demisêre sitim, dum Luxenvorgius iras
Anglorum tremit, & munimina vasta, minasque
Armorum objiciens, petit interfusa fluenta,
Fossarumque moras, & inexsuperabile vallum.

HUGO PARKER, *Armig. fil. è Coll. Magd.*

BRITANNIA.

DUM Mosa torpet sanguine Gallico,
Humique fumant oppida diruta;
Dum decolori Rhenus undâ
Scuta virûm galeasque volvit:
Quid nos loquacem tendere barbitum?
Et bella mensis pingere ludicra?
Quid inter armorum tumultus
Pacificam renovare pompam?
En! tuta vastis classibus Albion
Circumfluenti cingitur æquore;
Regnatque victrix inter undas,
Et liquido dominatur orbi:
Spargens frequentem lata per æquora
Classis ruinam, præsidium suis
Affert Britannis, navigatque
Attonito metuenda ponto.
Testor perempti sanguine navitæ
Undas rubentes, & laceras trabes,
* Testor BRITANNUM Gallicanis
Oceanum spoliis onustum.

* Intel. prælium navale 1692.

En!

En! picta velis æquora conſpicor:
En! ſævientes in fera prælia
  Ruunt carinæ, mutuâque
    Exitium meditantur irâ:
En! mugienti fulmina machinâ
Exire, certi nuntia funeris;
  Igneſque & undæ diſſonantes
    Perniciem dubiam minari.
Jam diſſipatos impiger ordines
CARTERUS urget, non timidus mori;
  Fugatque claſſem multa luſo
    Pollicitam meliora Regi.
Fruſtra. Imminentem non prohibet necem
Aptata laurus jam capiti Ducis;
  Quin victor effundit cruorem,
    Et mediis moritur triumphis.
Gens Angla, ſemper pube potens ſuâ,
Heroas almis jactat adoreis
  Ubique claros, & paratos
    Oppoſitas cohibere gentes:
Nec, ſi repoſcat parca malignior
Unum, potentes deficient viri,
  Virtute qui inſtaurent hiantem
    Et reparent ſimili ruinam.
Suis remoti finibus Albion
Frænare Martis noverit impetum;
  Potenſque dupla, ſive pacis,
    Sive gravis per acuta belli,
Miſcere laudes, arma vel obviis
Opponit armis, vel celer ingeni
  Intentat artes, bellicaſque
    Alma regit ſine Marte gentes:

Sed nec Camœnis deficit indoles
Apta excolendis, nec gravis obruit
Bellator artes: utriuſque
Fervet opus proprium Minervæ:
Superba claris Anglia vatibus,
Inſigniores queis neque Græcia,
Nec Roma jactat, neve cedit
Ingenuis Rhedycina Athenis;
Quam mite cœlum, quam genius loci
Fecêre muſis aptam habitantibus:
O ſola cunctas præter urbes
Chara tuo, Rhedycina, Phœbo!
Phœbus novenis grande ſororibus
Decus, tuetur præſidio ſuam
Turbam Poetarum, quibuſque
Præſidet, ipſe colit Camœnas.
Gens Angla tali prole ſuperbiat,
Et Diva lætis plauſibus infremat;
Secura deſpectetque belli
Et pelagi pariter ruinas:
Hæc ingruentes undique conſpicit
Martis procellas, bellaque non ſua
Audit, tumultuſque; & Camœnis
Innocuis vacat inter arma.
Sic, orbe quondam fluctibus obruto,
Pindi repôſtus Deucalion jugo
Spectabat undas, fluctuantis
Deucalion reparator orbis.
O qui BRITANNOS fluctibus eripis,
Et fata firmas pendula; qui Tuo
Tutos reponis nos peric'lo,
Atque paras requiem labore:

I nunc, phalanges prorue Gallicas,
Et tinge fuſo lilia ſanguine;
Ornetque devinctus catenis
Egregium Lodoix triumphum.

SAM. LENNARD, *Equ. Aur. fil. ex Ædc Chriſti.*

NUNDINÆ *STURBRIGIENSES.*

EXPOSITAS latè Cami prope flumina merces,
Divitiaſque loci, vicoſque hominumque labores,
Sparſaque per virides paſſim magalia campos,
Atlantis dic magne nepos, quem candida fertur
Cyllenes gelido peperiſſe in vertice Maja;
Tu Deus ingenii, lucri tu diceris idem:
Te matutinis precibus mercator adorat,
Anxius, innumeraſque recenſens ordine gazas,
Grande tibi Pario ſpondet de marmore ſignum,
Si bonus annueris, multuſque advenerit emptor,
Si pellis fures, nec quicquam furripis ipſe:
Ergo ades, & fidâ duc me per ſingula dextrâ.
EST in conſpectu GRANTÆ, notiſſima famâ
Urbs, opulenta olim, Papæ dum regna manebant,
Et ſervile jugum; Domus hîc fundata vetuſtâ
Relligione ſtetit: ſanctæ tenuêre Sorores:
Noſtra ah! temporibus quantum mutantur ab illis!

Nunc ſolùm tantæ fas eſt operoſa videre
Fundamenta Domûs, & non ſine laude ruinas:
Sanctarum at remanent veſtigia nulla Sororum.
INCIPIT ex illo notos STURBRIGIA campos
Oſtentare procul: (vocis quænam hujus origo,
Quam patriam agnoſcat, Britonáſne an Saxonas inter
Nata ſit, an Danos potiùs velit illa parentes,
Quærere diſtulimus; — *non omnia poſſumus omnes,*)
Quam ſimul aſpicias, totam huc migrâſſe putares
Sedibus avulſam, quam Thamiſis alluit, urbem.
AT, priùs optati quàm ſiſteris æquore campi,
Pauca docendus eris; paucis, adverte, docebo.
Quiſquis es, o igitur moneo, dum Sirius ardet,
Pulvereaſque ciet tempeſtas plurima nubes,
Si tantùm paucos, iterumque iterumque rogando,
Extorquere aſſes potes à cuſtode ſevero,
Ire Pedes noli; longum eſt iter, & tibi rhedam,
Quâ vectêre, bonam ſolidi pars quarta parabit.
Non tamen hâc ratione velim te ſcandere currum,
Quâ Corydon, noſtram qui nuper miſſus in Urbem,
Viderat haud unquam rhedam, niſi quâ pater olim
Et fœnum, Cereremque domum portare ſolebat.
Artificis miratur opus, fabricamque, rotaſque,
Axemque, & quid non? ſedet ille, inſuetaque vultu
Gaudia teſtatur, nec jam tibi, Phœbe, caballos
Invidet ille tuos, licèt ipſum ſæpe Magiſter
(Naſonis quondam legeret cùm dulce poema)
Multa Phlegonte ſuper, ſuper & Pyroënte doceret.
PRÆTEREA eſt operæ pretium, nec parva voluptas
Audire Aurigas convitia mutua dantes;
« Hùc, Domine, unus ait; bijugi mihi namque parati
« Expectant virgæ monitum. —— Solertior alter
Clamantis

Clamantis prævertit equos, & ſede relictâ
Defluit in terram pernix, & talibus infit,
(Oſtia dum pandit, mollitque ſedilia dextrâ)
‘ Ne, quæſo, ne crede iſti: mendacior alter
‘ Non eſt; nam, quamvìs ſe dixerit eſſe paratum,
‘ Ingrediare modò, fallet, cogetque ſedere
‘ Invitum, nectetque moras, pluresque manebit;
‘ Te contentus Ego. — Quid non facundia poſſit!
Ille quidem ſuaſit, penituſque intraverat unus
Pes currum, primoque in limine pendulus hæſi.
Non tulit hoc alter, plenus ſed deſilit irâ
Torva tuens, ceu ſæpe canis, ſiquando voracem,
Dentibus infrendens albis, meditetur in hoſtem
Horrida bella, velitque abreptam ulciſcier eſcam:
Ponè venit tacitus, colaphumque infringit; at ille,
(Senſit enim) pariter reſpondet, & ictibus ictus
Ingeminat: quanto, proh Divi, utrinque fragore
Inſonuêre genæ, gemitumque dedêre crepantes!
Extemplo coëunt vulgus, ſtudiiſque repente
Scinduntur variis; partes, prout cuique libido eſt,
Accipiuntque ſuas, & dant ſolantia dicta,
Dum favet aurigæ huic alter, favet alter & illi.
‘ Tolle caput, ſolidoque magis confide cerebro
Dixerat Hic: aſt Adverſarius —— ‘ Ilia ſubter
‘ Pugnos ingere nunc, animamque huic excute totam,
Talibus inter ſe monitis hortantur amicum
Quiſque ſuum, donec tandem civilis Enyo
Bacchari cœpit jam latiùs; undique ſerpit
Dira lues, pugnam ornat quiſque, legitque virum vir.
Tum verò avulſos, auræ ludibria, crines
Cernere erat, largoſque cruoris currere rivos.
Hìc Ego (nam nec me famâ labor Iſthmius unquam

Clarabit pugilem, nec ſunt ea prœlia cordi)
Dum neſciret adhuc cui det Victoria laurum,
Et dubiis nunc huc nunc illuc tenderet alis,
Pugnantes de me linquo, currumque propinquum
Scando citus, campoſque peto, celebreſque tabernas.
Quò ſimul ac ventum, nummo de more ſoluto,
Dimitto Automedonta meum, vicoſque per omnes
Erro vagus, quocunque pedes, animuſque ferebant;
Et modo per denſos ſaccorum ducor acervos,
Difficilis modo ſit per olentes ſemita piſces;
Nunc obſtant carpenta viæ, nunc tardat euntem
Turba frequens hominum; laſſas jam verberat aures
Raucus clamor anûs, vendentis poma nuceſque:
'Elige, quæ mavis; ſunt optima poma nuceſque.
PARTE aliâ, buccas inflatus turpiter ambas,
Stat tubicen, populumque vocat, mirac'laque pandit.
'Hîc Elephas, hîc ille, inquit, GETULIA qualem
'Non vidit; cujus conſcendere nobile dorſum,
'Si foret in terris, optaverit HANNIBAL ipſe;
'Denos ille homines, ingentia pondera, tergo,
'Aure utrâque duos, totidemque proboſcide geſtat;
'Reginæ nomen ſi tantùm audiverit ANNÆ,
'Gaudet, & egregium placido ore fatetur amorem.
'At Turca, & Turcâ Lodoix immanior, iras
'Accendunt cordi, furiataque pectora verſant.
PROGRESSUM ulteriùs me parvula charta, legendam
Feſtivus quam præbet homuncio, ſiſtit; at illa
Spirantis miranda refert ſpectacula ceræ.
Illic defuncti circum regale WILHELMI
Stant comites buſtum, dominumque queruntur ademptum.
At tu, ſpectator, ſocias ne reſpue guttas
Miſcere, extremum meriti vectigal honoris.

Parte

Parte aliâ ingreditur, plauſuque accepta ſecundo
Imperium ANNA capit, ſoliumque aſcendit avitum.
Stat ſimul EUGENIUS, palmam cui bella recentem
Æternaſque parat felix victoria laudes.
Horrida ſed PUER HISPANUS non ſuſtinet ora,
Et quærit latebras, & currere velle videtur.
QUO tamen uſque inter pomæria ſola vagamur?
Actum quippe nihil, mediam niſi protinus urbem
Viſimus, inque ipsâ veſtigia pono Suburrâ.
Hìc autem, quodcunque ingenti cernitur orbe,
Pulchra tibi præſtant compendia, ſive tabernas
Diverſas, hominum ſeu contemplabere mores.
QUALIS ubi pulſis procul æſtas aurea nimbis
Ridet, & ad notos, redolentia pabula, flores
Hybleas invitat apes, pars roſcida circum
Prata volant, referuntque thymo turgentia crura:
Condere pars latebras, pulchriſque liquentia mella
Certatim ſtipare favis; opus acriter urget
Quæque datum, reſonant cellæque & cerea regna:
Haud ſecùs exercet ſeſe per compita vulgus
Mercuriale, inſtant operi, quò quemque parandi
Dulce vocat ſtudium, diverſaque cura negotî.
Tum merces culpare emptor, laudare paratus
Venditor, inſidiaſque, alternaque retia tendunt.
Cum lucro, quodcunque poteſt, mercarier alter,
Alter vendere avet, cautuſque & providus audit,
Si male prudentem quis fallere poſſit amicum.
'NOVI ego (dicebat quidam, ſimul explicat omnes,
Quotquot habet, verſátque manu, quamque ordine, merces)
'Quàm ſoleant omnes proprias res tollere, contrà
'Deprimere alterius; ſed ſic mihi proſpera cuncta
'Cedant, ut non his meliores mercibus uſquam

Inve-

'Invenies, quamvìs cunctas ſcrutêre tabernas.
'Nec ſum ex illorum numero, qui plus ſemel huc ſe
'Haud conferre audent; mercatorve unius anni:
'Nam quoties hoc tempus adeſt, haud ſegnius & nos
'Adſumus, ut jam non redeat conſtantior annus.
'Omnes me nôrunt; decimus September habetur,
'Ex quo me vidit vicinia tota morantem
'Hâc ipsâ ſtatione — loqui jam plura volenti
'Nil equidem hæc habeo contra quod dicere poſſum,
'(Emptor reſpondet,) pretium ſed diſplicet — 'Eia!
'Siqua fides, ago jam tecum, quo, ſi pater eſſes,
'Tecum agerem pacto, fraterve, (nec ille profectò
Mentitur, fratrem fraudare, patremque paratus.)
'—— Hæc aliis narra, nam nos non credimus: An tu
'Nil unquam me emiſſe putas? Quid denique prodeſt,
'Quòd ſit mercatura quotannis, vendere merces
'Si pluris non GRANTA ſolet? proinde accipe, ſi vis,
'Quod dixi, pretium — Poſſem modo, at hæcce minoris
'Auferet à me nemo, fores ego claudere certè
'Prætulerim, vacuâque domum migrare crumenâ.
'Ut libet, & valeas — Et tu — Vix protulit unum
Ille pedem, vocat hic abeuntem & talia fatur.
'Dure nimis, cur ah! prohibes me vivere? verùm,
'Quando ita vis, numera nummos, & quod petis aufer.
'Spero, loci poſthac quòd non eris immemor hujus,
'Quandocunque opus eſt, venieſque benignior olim:
'Scit cœlum, ſcis ipſe, licèt non ſcire fateris,
'Quam mihi nil ex hoc poſſit contingere lucri.
HIS reliqua inter ſeſe agitat commercia turba
Fraudibus; è cunctis cognoſcere ſufficit unum.
Jam verò deflecte oculos, paulumque togata
Turba vide quid agat; namque hîc verſantur & ipſi,

Quorum

Quorum pulvereo verruntur Syrmate vici.
ÆRIS egens ſiquis, (qualem perſæpe fuiſſe
Me non diffiteor; neque enim me inopem miſerumque
Si Fortuna tulit, vanum tulit atque ſuperbum)
Huc illuc errare, oculoſque per omnia circùm
Ferre avidos amat, atque animum oblectare tuendo.
(Ah miſeras plantas, dominus queis contigit iſte!)
Nil agit infelix, nec, quod ſperavit, habebit.
Tantùm inter denſas, ſpectacula ſplendida, gazas
Ambulat indefeſſus; ibi ſuſpirat, & eheu!
Cur tantùm arridetis ait? vel cur ego pauper,
Cùm tantùm arridetis? —— inanibus indulgere
Nil refert votis, nec adeſt clamata Pecunia;
Obſtant fata, malique ira implacabilis aſtri.
SUNT, quibus unum opus eſt, ubi fervet plurima turba,
Criſpatos ferro crines, myrrhâque madentes
Oſtentare; ſatis nempe hi feciſſe videntur,
Si placeant vulgo, nymphæve morentur ocellos.
EST quoque, quem præceps juvat alea; cernere talos
Currentes, ſonitumque amat ille audire fritilli.
Ah fuge damnoſos jactus, fuge cautus avara
Tecta procul; nam ni flavo tibi virga metallo
Pullulet, auratâque fluat Pactolus in arcâ,
Heu! fruſtra amiſſos flebis cum tempore Nummos.
Ille igitur ſolus vellem huc deſcendat, abunde
Æris cui, cerebrique parum eſt, cui craſſa Minerva
Blanditur, ſortemque jubet ſperare faventem.
Huic etenim, infanti quondam, chariſſima mater
Pingue caput mulcens, macte, ô mi parvule, dixit,
Macte, puer; nam ſi quid anus, ſi quid ſacra veri
Vox habeat, multos non illaudata per annos,
Fortunatus eris. ——

E regione domus trabibus contexta ſalignis
Cernitur, ignavis ſedes laſſiſque viarum
Opportuna ſatis: ſpatioſas poſſidet ædes
GRAIUS homo (ut perhibent) quocum certare nec audet
PINDARUS hic noſter, ſordetque BATESIUS ipſe:
(DOROTHEA una novo rivali cedere neſcit:
DOROTHEA, ingenio pollens, & mille placendi
Artibus, & cunĉti gnara & ſtudioſa palati.)
Non illo quiſquam fragrantem fundere Têam
Scit meliùs, dulcemve molâ verſare Cocoam.
Hanc, anguſta obſtat ſi res majoribus auſis,
Ne dubites intrare caſam; tibi ſcilicet auro
Non opus eſt ullo, nec copia quæritur illic;
Sed bene ſecurum reddent te quatuor Aſſes:
Hos modo ſer tecum, te non felicior alter
Tecta ſubit, nulli plures ſolvuntur honores;
Omnibus unus honos, & ſedes omnibus una,
Defunĉtas Orcus non accipit æquior Umbras.
Hîc, quodcunque novum Auſoniis molitur in oris
EUGENIUS, legitur: miſeros ſeu fallere Gallos
Fraude velit, bello ſeu credere malit aperto;
Seu virtus ſit, ſive dolus, mirandus utroque.
Victrices, en! cerno aquilas, atque omina lætus
Accipio; haud illæ fruſtra per nubila pennas
Exercent, ſolum aſſuetæ portare Tonantem.
Sed neque quid noſtræ valeant audire phalanges
Te pigeat, ſunt & nobis pugnare parata
Pectora, difficilemque haud averſantia Martem.
Quid non CHURCHILLII dextrâ ſperare licebit
Auſpiciiſque ANNÆ? Gallorum FLANDRIA Strage,
CRESSIACIQUE iterum ſpumabunt ſanguine campi.
Ite alacres igitur quæcunque in prælia, ſortes

Ite

Ite Animæ, Superi pro vobis arma capeſſunt
Omnes, inque ipſum ſua ſtant perjuria Gallum.
Forte quid ORMONDUS faciat, quâ claſſis arenâ
Vela legat ſinuoſa, & quas perterreat oras,
Pagina narrabit verax; ſed ne tamen illi
Tu pius interea felicem parce vovere
In Patriam reditum, & partas ſine ſanguine lauros.
Compedibus duris inimicas vinciat auras
Æolus, & tutæ pateant remeantibus undæ.
O ſi, quod vellem, poſſem quoque; me neque vates
Andinus caneret meliùs, nec cederet Heros
Heroi Iliaco, bello & pietate, Britannus.
Juſtior has quanquam partes, famamque Patroni
Arriperet RHEDYCINA, Deus cui dulcia dudum
Pocula, Caſtalioſque indulſit amicior hauſtus.
Atque Ego, ſi faciles riſiſſent forte Camœnæ,
Nobilius molirer opus: Tu, GRANTA, beata
Audires, Tu, GRANTA, duo cui lumina præbet
SEYMORIANA domus, nec enim mihi dicere fas eſt
Patre magis natone tumes, dum fortiter arces
Alter Palladias tibi protegit, ornat & alter.
I decus, i noſtrum; ſic cùm longæva ſenectus
Communem abripuit nobiſque tibique parentem,
Reſtet adhuc, cui mox Academia deferat ultro
Maturos faſces, nec ſeſe ſentiat orbam.
Quo vehor? Icariis auſus me credere pennis,
Ah! demens, onerique impar ſub mole fatiſco.
Ulterius vetuêre Deæ, & jam Cynthius aurem
Vellens, inceptum repetam jubet argumentum.
HAUD procul hinc turris, nubes quæ mole ſuperbâ
Pulſat, ubi dulceſque lyræ fidiumque ſonora
Arrectas plebis concordia detinet aures.

Clauſas

Clauſas denſa fores circumſtat turba, ſtupetque,
Miraturque ſonos, & tinnula comprobat Æra;
Hîc aliquis viſus ſociis feſtivior, (illi
ANDREA cognomen; quis barbarus iſte rudiſve
Uſque adeo vivit, cui non eſt ANDREA notus?)
Ut multos intro invitet, faciatque lucellum,
Ante fores ſublimis adeſt; hunc pileus ornat
Verſicolor, pictis & floribus æmula veſtis;
Tam pulchram non, Iri, geris, licèt induat ipſe
Veſtimenta tibi Deus, & ſit ſartor Apollo.
Hic ſtultum ſimulat, gaudetque jocoſus haberi,
Sed non & ſimulâſſe ſatis; vult namque videri
Stultus, & eſt. Querno quem nitens fuſte colonus
Suſpicit, inque hilares ſolvit dura ora cachinnos.
Ah! ne te intrandi capiat tam dira cupido,
Nec tantum mirare melos, Rhodopeia quamvis
Plectra redîſſe putes, fabricataque ſtamina Thebas.

EST Homo, qui incedit nigrâ comitante Catervâ,
Cui Baculum inſigne officii, quo pellere turbam
Obſtantem, valeatque fores effringere clauſas.
Non tam Myrmidonum turbâ ſtipatus Achilles
Trojanos terrere duces, pavidoſque ſolebat
Sectari Phrygas, immenſumque fugare per æquor.
Hunc, Juvenes, vitate virum, comiteſque nefandos;
Præcipuè, ſi quem decorabit PURPURA nota,
PURPURA nota nimis: fruſtra effugiſſe ſeveri
Cenſoris ficto moliris nomine mulctam;
Index veſtis erit, manifeſtabitque latentem.
Tunc tibi tempus erit, magno cùm optaveris emptum
Intactum limen, cùm tympana rauca meloſque
Oderis, & monitus ſerò experière fideles.

HOC ego conſilium diſcedens linquo manenti;

Nam

Nam me, pertæſum turbæ, magnique laboris,
Et Phœbi ductum exemplo, qui feſſus & æger
Rhedâ præcipitem fugiente relinquit Olympum,
Ad GRANTAM revehit currus proprioſque Penates:
Hîc Auriga ſuos, hîc ſiſtit Muſa caballos.

TH. HILL, *Coll. Trin. Cant. Soc.*

PUGNA BOYNIACA,

Anno 1690.

QUALIS in antiquas ſedes patrioſque Penates
EDVARDUS rediit domitis jam victor ab oris;
Gallorum ſpolia indutus, populique frequentis
Exceptus plauſu; talem, fortiſſime Princeps,
Talem oculis, animoque parem, Te fata reponunt;
Nec minùs horrendum Gallis, ſeu mœnibus hoſtem
Incluſum oppugnas, ſeu Marte laceſſis aperto.

CUR Phœbus Muſæque ſilent? cur nulla Theatri
Copia? nec fauſtas referunt ſpectacula pugnas?
O ſi quis varios doctus miſcere colores,
Innocuo valeas fera prælia ludere fuco,
Hîc habilem oſtenta dextram, monumentaque belli
Erige BOYNIACI; & memori ſuſpende tabellâ
Depictas acies & tela minantia telis.

ERGO age, felices ſuccos tractuſque perennes
Finge potens calami, primoque in limine chartæ
Caſtra inimica color ſignet; juxtáque juventus
Gallica, degenereſque fremant, fœdum agmen, Hiberni.
Flecte dehinc digitos aliò, & tentoria magni

Exſurgant

Exſurgant GULIELMI, atque hinc Heroas & illinc
Magnanimos deſcribe; ſed ô quæ dextra labores
Regis & ardentes pugnas ad flumina Boynæ
Sperabit ſimulare; quis atro in ſanguine Gallos,
Singultuſque virûm morientûm, igneſque ſonantes
Per medias undas, & mortis mille figuras
Oſtendet? tamen hoc aude, & totum indue Zeuxin.
NASSOVIUS fremat ante acies, & qualis in armis
Intonuit quondam, & proſtravit cuſpide Gallos
Per Moſæ ripas; talis nunc fervidus enſem
Corripiat, turmaſque inſtiget ad arma volantes.
Quà ſe cunque ferat, terror comitetur euntem,
Et juxtà lætis plaudat Victoria pennis.
HUNC circum depinge Duces; & primus in hoſtes
Irruat ORMONDUS, Gallorumque agmina ferro
Proterat; ORMONDI quoties inamabile nomen
Attingit LODOICI aures, tremor occupat artus,
OSSORIIque ſubit campos vaſtantis imago.
En! iterum furit ille, & adhuc in prole ſuperſtes
Tela quatit genitor: nam vires natus eaſdem
Et ſimiles in bella animos & pectora ducit
Æmula, Virtutis patriæ non degener Hæres.
Salve, atavis & avis magnoque ſimillime Patri,
Salve, Heros invicte; Tuæ gratantur Athenæ
Te reducem, Tibi perpetuas Rhedycina corollas
Nectit, Pieriâque ornat tua tempora lauro.
Felix ante alias! tali ſuffulta Patrono,
In quantum ſeſe Rhedycinæ Gloria tollet!
Perge, Heros, ſeu pax niveis circumvolat alis,
Seu Te bella juvant, ſtimulent exempla Parentis,
Et magni GULIELMI.
PARCE, tuos ſi jam neglexi, Zeuxi, colores,

Imme-

Immemoremque Erato vaſtum me immiſit in æquor;
Sume iterum tabulas, & fida reponat arundo
SCHOMBERGUM, & capitis canos oſtendat honores.
Ille auro inſignis properet per flumina Boynæ,
Vectus equo niveo; fugiat perterritus hoſtis
Per campum, & nimiùm notos exhorreat enſes.
At circùm Senior flammas & vulnera mille,
Mille neces ſpargat; ſed mox tamen occidat ipſe
Averſis fatis, & iniquo vulnere victus.
HEU miſerande Senex! hìc, Pictor, pone tabellas,
Pone tuos paulùm calamos; crudelia lapſi
Fata Ducis ploremus, humi jacet inclytus Heros
Pallidus, exanimis; non talem Guardia vidit
Scandentem muros & vaſtâ ſtrage furentem.
Purpureas hîc funde roſas, hîc lilia triſti
Sparge manu, & ſaltem lachrymas impende favillis.
ET nunc, ſi voces gemituſque effingere poſſis,
Zeuxi memor, varias luctûs molire figuras,
Ploret tota cohors, & verſis lugeat armis;
Jamque tubæ lugubre ſonent, multoſque ululatu
Heu fruſtra ingeminet planctus, raptumque requirat
Turba Ducem; quin tu GULIELMI ponere fletus
Neu ſperes impar, ſed velum obtende dolenti.
NON tamen Ille adeò volvat ſub pectore luctus,
Quin animo generoſam iram, juſtoſque furores
Concipiat, caſuſque graves miſeratus Amici
Defuncto paret inferias. Ergo æquore Gallos
Ultor agat toto indignans, & vindice ferro
(Heu nimiùm viles animas!) ſub Tartara mittat,
Celtaſque, Senonaſque, paludicolaſque Juvernos.
Fœcundet novus imber humum, ſub gurgite volvat
Boyna viros atque arma ſimul galeaſque cruentas,

Et

Et lentos tabo protrudat in æquora fluctus.
MOX pia NASSOVIO portas Eblana repandat,
Inſtauretque novos Regi ſervata triumphos.
Illa caput nitidum, veteris jam oblita doloris,
Attollat, totoque ſinu gratiſſima magnum
Accipiat Dominum, placidis & inhæreat ulnis.
HÆC ubi reddideris, argutior omnia terge
Subtili digito, finemque impone labori.
ET velut Æneas Libycâ ſecurus in aulâ
Se comiteſque ſuos pugnantes parjete vidit,
Hîc bellum Heroaſque acri certamine Cæſar
Aſpiciat mixtos, & ſe miretur in illis.
QUID tamen ô dulces prodeſt tetigiſſe Penates,
Si rurſum in cædes rapitur, nova regna per undas
Quærat, & adverſis iterum ruat obvius armis?
Quin bello abſtineas, Cæſar, nec rurſus iniquis
Tantam crede animam ventis; En! Ipſa MARIA
Orat, & extendit Tibi tota Britannia palmas.
Parce Tuis, GULIELME; ſat ô ſat fama per orbem
Jampridem emicuit; ſat novit Gallia, quantus
In clypeum aſſurgas, quo mittas turbine ferrum;
Teſtis LUXEMBURGUS, & atro occultus in antro
CONDÆUS, fuſuſque Tuis TURENNIUS armis.
Te tamen urget adhuc LODOÏX, belloque laceſſit,
Teque putat pejorem atavo, qui contudit ALVAM,
Dimovitque jugum Batavis crudele PHILIPPI.
Fallitur: Auriacâ nemo de gente Sicambros
In tantum evexit proavos, nec Belgica quondam
Ullo ſe tantum tellus jactavit alumno.
Te quantum nuper perterrita ſenſit Ierne,
Cùm Senonum multâ turbâſti ſtrage phalanges!
Num talis FREDERICUS erat? num tantus in armis

MAURI-

MAURITIUS Batavo SPINOLAM milite fudit?
Heu, LODOICE, tuos jam corpora ſparſa per agros,
Et Ligerim multo ſpumantem ſanguine cerno.
Nempe iterum Anglorum Regem Pariſina videbunt
Mœnia, flagranteſque faces & tela minantem,
CRESSIACIque iterum pingueſcent ſanguine campi.

W. PERCIVALE, *Ædis Chr. Alumnus.*

DESCRIPTIO SPECTACULI,

Quod exhibet

TEMPLUM HARLEMIANUM.

DUM citharam argutus digitis ſalientibus urget
Amphion, circùm crebras ſe attollere turres
Aſpicit attonitus, ſaxiſque volentibus urbem
Surgere ſponte ſuâ, & ſubitas coaleſcere Thebas.
Nunc tamen antiquæ ſuperat miracula famæ
HARLEMIANA Ædes, ubi nullo ſtructa labore
Oſtia ſe pandunt; Templum inſpicientia condunt
Lumina, & ipſe ſibi ſpectacula præbet ocellus.
QUIN age, quà minimum tenui datur ore foramen
Pone oculum; parva imprimis tibi ſcena patebit,
Et vicina brevem claudent confinia viſum,
Exiguumque larem cernes anguſtaque clauſtra;
Continuò aſpectu ſe ſubtrahit, atque ſequentes
Templum oculos fugit, & ſubitò (mirabile viſu!)
Altiùs aſſurgit tectum, murique recedunt,

Longa

Longa columnarum ſeries jam mœnia utrinque
Deſerit, & medio ſeſe erigit ardua Templo.
Has inter depictus Homuncio marmora luſtrans
Amplior incedit, miratur inania membra
Augeri, & ſenſim inſtabilem ſibi creſcere formam.
Roſtra extant, craſſo conſtructa ſedilia fuco
Apparent, & menſa verendæ conſcia cœnæ,
Lychnique, & calices, & cætera ſacra ſupellex.
Nec meliore ſenex vitreos contraxerat arte
Cœlos, cùm fragiles paſſim diſcurrere ſtellas
Finxerat, & totum retulit minor orbis Olympum.
Organa, quæ ſummis primò laquearibus hærent,
Mox variis diſtincta tubis declivia pendent
Ad latera, & pronus fidium demittitur ordo.
Ecce tamen ſupra, qui horas & tempora narrat,
Diſcum! dum latè circùm ædes tota movetur,
Ipſe ſibi ſolùm conſtat, ſpatioque priori
Contentus, formam cautè tutatur eandem.
Obſtupet ipſe ſuæ Phœbus miracula lucis,
Vimque datam radiis, atque unde potentia ſcenam
Orta ſit augendi, petit; admiranſque fatetur,
Nil tale in toto occurri, quem circuit, Orbe.
At dum per pictos ſpatiantur lumina muros,
Stat juxtà interpres doctus, ſpectacula paſſim
Exponens, & ubique oculos per ſingula ducit;
Sic Templi cuſtos, cui divûm ornare penates
Cura, & portarum cecidit cuſtodia ſorti,
Affert ingentem, ſiquis venit advena, clavem,
Atque intùs ſpectantem admittit, & omnia circùm,
Cultuſque, & tumulos, opera, & monumenta repandit.
Si tamen aſpiceres quo ſeſe limite fucus
Siſtat, neve ultrà luſos juvat error ocellos;

Hinc

Hinc aciem amoveas, jubeaſque patere feneſtram;
Quà ſpatio majori aditus ſe pandit apertus,
Atria vaneſcunt, ſubitò ſe contrahit ingens
Machina, jamque abit in formam revoluta priorem.
Decreſcunt arcus fracti, & penetrale profundum.
Jam muri apparent humiles, & mœnia fuco
Sordent, immenſumque latet ſub pyxide Templum.

STEPH. CLAY, *Coll. Magd. Dem.*

RESURRECTIO
DELINEATA
Ad Altare Coll. Magd. Oxon.

EGREGIOS fuci tractus, calamique labores,
Surgenteſque hominum formas, ardentiaque ora
Judicis, & ſimulachra modis pallentia miris,
Terribilem viſu pompam, Tu carmine, Muſa,
Pande novo, vatique ſacros accende furores.

OLIM Planitiem (quam nunc fœcunda colorum
Inſignit Pictura) inhoneſto & ſimplice cultu
Veſtiit albedo, ſed ne rima ulla priorem
Agnoſcat faciem, mox fundamenta futuræ
Subſtravit Pictor tabulæ, humoremque ſequacem
Per muros traxit; velamine mœnia craſſo
Squalent obducta, & rudioribus illita fucis.

UTQUE (polo nondum ſtellis fulgentibus apto)
Ne ſpatio moles immenſa dehiſcat inani,

Per

Per cava cœlorum, & convexa patentia latè
Hinc atque hinc interfuſus fluitaverat æther;
Mox radiante novum torrebat lumine mundum
Titan, & pallens alienos mitiùs ignes
Cynthia vibrabat; crebris nunc conſitus aſtris
Scintillare polus, nunc fulgor Lacteus omne
Diffluere in cœlum, longoque albeſcere tractu.
SIC, operis poſtquam luſit primordia Pictor,
Dum ſordet paries, nullumque fatetur Apellem,
Cautiùs exercet calamos, atque arte tenacem
Confundit viſcum, ſuccoſque attemperat, omnes
Inducit tandem formas; apparet ubique
Muta cohors, & Picturarum vulgus inane.
ALIGERIS muri vacat ora ſuprema Miniſtris,
Sparſaque per totam Cœleſtis turba Tabellam
Raucos inſpirat lituos, buccaſque tumentes
Inflat, & attonitum replet clangoribus orbem.
Defunctis ſonus auditur, tabulamque per imam
Picta graveſcit humus, terris emergit apertis
Progenies rediviva, & plurima ſurgit imago.
SIC, dum fœcundis Cadmus dat ſemina ſulcis,
Terra tumet prægnans, animataque gleba laborat,
Luxuriatur ager ſegete ſpirante, caleſcit
Omne ſolum, creſcitque virorum prodiga meſſis.
JAM pulvis varias terræ diſperſa per oras,
Sive inter venas teneri concreta metalli
Senſim diriguit, ſeu ſeſe immiſcuit herbis,
Explicita eſt; molem rurſus coaleſcit in unam
Diviſum funus, ſparſos prior alligat artus
Junctura, aptanturque iterum coëuntia membra.
Hîc nondum ſpecie perfecta reſurgit imago,
Vultum truncata, atque inhoneſto vulnere nares

Manca,

Manca, & adhuc deeſt informi de corpore multum.
Paulatim in rigidum hîc vita inſinuata cadaver
Motu ægro vix dum redivivos erigit artus.
Inficit his horror Vultus, & imagine totâ
Fuſa per attonitam pallet formido figuram.
DETRAHE quin oculos, Spectator; &, ora nitentem
Si poterint perferre diem, medium inſpice murum,
Quâ ſedet orta Deo proles, Deus Ipſe, ſereno
Lumine perfuſus, radiiſque inſperſus acutis.
Circum tranquillæ funduntur tempora flammæ,
Regius ore vigor ſpirat, nitet ignis ocellis,
Plurimaque effulget Majeſtas Numine toto.
Quantùm diſſimilis, quantùm ô! mutatus ab illo,
Qui peccata luit cruciatus non ſua, vitam
Quando luctantem cunctatâ morte trahebat!
Sed fruſtra voluit defunctum Golgotha Numen
Condere, dum victâ fatorum lege triumphans
Nativum petiit cœlum, & ſuper æthera vectus
Deſpexit Lunam exiguam, Solemque minorem.
JAM latus effoſſum, & palmas oſtendit utraſque,
Vulnuſque infixum pede, clavorumque recepta
Signa, & tranſacti quondam veſtigia ferri.
Umbræ huc felices tendunt, numeroſaque cœlos
Turba petunt, atque immortalia dona capeſſunt.
Matres, & longæ nunc reddita corpora vitæ
Infantûm, Juvenes, Pueri, innuptæque Puellæ
Stant circùm, atque avidos jubar immortale bibentes
Affigunt oculos in Numine; laudibus æther
Intonat, & læto ridet cœlum omne triumpho.
His Amor impatiens conceptaque gaudia mentem
Funditus exagitant, imoque in pectore fervent.
Non æquè exultat flagranti corde Sibylla,

Hoſpite cùm tumet incluſo, & præcordia ſentit
Mota Dei ſtimulis, nimióque calentia Phœbo.
QUIS tamen ille novus perſtringit lumina fulgor?
Quam Mitrâ effigiem diſtinxit Pictor, honeſto
Surgentem e tumulo, alatoque Satellite fultam?
Agnoſco faciem, vultu latet alter in illo
Wainfletus; ſic Ille oculos, ſic ora ferebat.
Eheu quando animi par invenietur Imago!
Quando alium ſimilem virtus habitura! ———
Irati innocuas ſecurus Numinis iras
Aſpicit, impavidoſque in Judice figit ocellos.
QUIN age, & horrentem commixtis igne tenebris
Jam videas ſcenam; multo hîc ſtagnantia fuco
Mœnia, flagrantem liquefacto ſulphure rivum
Fingunt, & falſus tantâ arte accenditur Ignis,
Ut toti metuas tabulæ, ne flamma per omne
Livida ſerpat opus, tenueſque abſumpta recedat
Pictura in cineres, propriis peritura favillis.
Huc turba infelix agitur, turpiſque videri
Infrendet dentes, & rugis contrahit ora.
Vindex à tergo implacabile ſævit, & enſem
Fulmineum vibrans acie flagrante ſceleſtos
Jam Paradiſeis iterum depellit ab oris.
Heu! quid agat triſtis? quò ſe cœleſtibus iris
Subtrahat? ô! quantùm vellet nunc æthere in alto
Virtutem colere! at tandem ſuſpiria ducit
Nequicquam, & ſerò in lachrymas effunditur; obſtant
Sortes non revocandæ, & inexorabile Numen.
QUAM varias aperit veneres Pictura! periti
Quot calami legimus veſtigia! quanta colorum
Gratia ſe profert! tales non diſcolor Iris
Oſtendat, vario cùm lumine floridus imber

Rore

Rore nitet toto, & guttâ ſcintillat in omni.
O fuci nitor, ô pulchri, durate, colores!
Nec, Pictura, tuæ langueſcat gloria formæ,
Dum lucem videas, qualem exprimis ipſa, ſupremam.

JO. ADDISON, *è Coll. Magd.*

DECRETUM OXONIENSE,

ANNO MDCLXXXIII.

OLYCIO dilecta Deo Rhedycina, potentem
Cui cytharam nervoſque dedit Thymbræus Apollo;
Ipſe ſuas artes: Te carmine, Diva, quotannis
Inſequimur feſto, tibi nos ſolennia ſemper
Votaque & æternos læti inſtauramus honores.
EN! & nunc laudum ſurgit fœcunda tuarum
Materies, nunc arrepto te dicere plectro
Muſa jubet; CAROLUMque loquacibus addere chordis.
Salve, ſancta Parens; Tuque, ô certiſſima Divûm
Progenies, dubias regni qui flectis habenas,
CAROLIDE, ſalve; Lethi Te plurima cingit
Nequicquam facies, nequicquam mille laceſſunt
Agmina, juratæque horrenda in fœdera dextræ:
Dum viget illa Tuum Rhedycina haud immemor unquam
Tutari caput, & ſceleratas pandere fraudes.
Illa Tibi tereti frontem circundat olivâ,

Et viridem nectit circum pia tempora laurum,
Attonitas quatiens non bruto fulmine turmas.
Jam Regi devota Fides, sub funere languens,
Pressa malis circùm, atque indignis cincta catenis,
Lumina (quod poterat) longo liventia luctu
Sustulit ad cœlum; &, quis nunc me (voce vocavit
Extremâ) eripiat tantis è cladibus ultor?
Audiit has secura mali Rhedycina querelas,
Auxiliumque tulit: tum protinus, auspice Divâ,
Seditio (fœdum ac visu mirabile monstrum)
Procubuit, terramque indignanti ore momordit.
Qualis ubi Andromedam Perseus materna luentem
Crimina, & ad duras religatam in littore cautes
Aspexit miserans; clypeo confisus & ensi,
Pone metum, Virgo, non es sine vindice, dixit:
Nec mora, congreditur, Piscique per ilia ferrum
Exigit; ille vomens tumidum de pectore virus
Volvitur, & mediâ jacuit resupinus arenâ.
HAUD jam ultrà vulgi bibulas illapsa per aures
Dogmata, Principibus multùm funesta ciebunt
Irasque, insidiasque, & duri semina belli:
Ardet enim fusis circùm undique noxia flammis
Pagina, damnatæque inhonesto funere chartæ.
Quanquam ô si simili, quicunque hæc scripserit Author,
Fato succubuisset, eodemque arserit igne!
In medio videas flammâ crepitante cremari
MILTONUM, (terris cœloque inamabile nomen)
Qui contemptorem regum, populique patronum
Se tulit Angliaci, speciosas texere fraudes
Doctus, & impuris leges obtendere cœptis.
Sed tamen huic magnas animosa in carmina vires
Diva dedit, geniumque implevit dexter Apollo:

Seu

Seu bello accingat metuendâ cominus haſtâ
Luciferum gradientem, & vix Michaele minorem:
Seu dicat primum temerè jacuiſſe Parentem
Acclinem violis, & ſuavè rubenti hyacintho.
O CAROLI laudes tali ſi dicere verſu
Maluerit, non jam periiſſet vindice flammâ:
Sed ſeram famam æternum miſiſſet in ævum,
Unam paſſurus, mundo flagrante, ruinam.
HIS etiam accedit Diti ſacer HOBBIUS aris,
HOBBIUS inviſum ventura in ſecula nomen,
Qui ſtabiles rerum leges immiſcuit audax,
Et veteres penitus Naturæ excuſſit habenas.
Sed fruſtra lævas molitur pectore curas,
Inſudat fruſtra, atque animi ſerale venenum
Evomit in chartas: juncti fidiſſima contrà
Stat vox Oxonii, valido par argumento.
* ILLE etiam, Scoticâ qui quondam turbidus Aulâ
Jus regum anguſti contraxit limite gyri,
Qui toties populos immiſit in arma furentes,
Multaque ſubjecit gliſcenti incendia bello,
Nunc ignem ſubit, & flammis ultricibus ardet.
Hæ tibi ſunt laudes, immortaleſque triumphi,
O Dea, Belloſiti ſacras quæ protegis arces;
Hæc tu monſtra domas: nec te (ſi quando ruentis
Poſceret imperii caſus) Temploque futurum
Et Sibi præſidium, CAROLUM ſpes vana feſellit.
Scilicet hoc ſperare Patrum dedit & ſua Virtus,
Regi certa fides, & neſcia fœdera rumpi.
Tu, cùm veſani ruerent in mutua cives
Vulnera, fæviretque animis ignobile vulgus,

* Buchananus.

Auſa Caledoniæ ſpecioſa ænigmata LIGÆ
Sublatis aperire dolis, communia Plebis
Damnâſti ſcelera, & ſuffragia Poplicolarum.
O CAROLI vindex! ô Relligionis honorem
Antiquæ, puramque fidem non immemor unquam
Aſſerere! & ſi qua poſſent Regalia Jura
Defendi virtute, tuâ hâc defenſa fuiſſent.
At non, ſi quondam ſuccumberet irrita virtus,
Et nunc ſors eadem fidis conatibus obſtet.
FALLOR? an incipiunt læti procedere menſes?
Sec'lorumque novus fuſis evolvier ordo?
Stat legi ſua vis: vetitos plebecula cœtus
Deſerit: unanimes redeunt in priſtina turmæ:
Subſidunt animi: nuſquam Fanaticus ardor
Apparet, nuſquam veteris veſtigia flammæ.

——— *ex Æde Chr.*

HIRCOCERVUS.

ESSE quid hoc dicam? certè hæc nil tale ... ...
Secula; nec memini veteres ceciniſſe poetas:
Hoc nuſquam Flaccum ſublimi prodere cantu
Mens jùſſit congeſta: Maro ſurgente Camœnâ
Arma virumque canit, ſed non canit HIRCOCERVUM.
SED quid me impellit non convenientia Muſæ
Dicere? quid ſacri canonem diffringere SMETI?
Nempe fugit doctas metri vox barbara leges,
Averſata artes, placidiſque inimica Camœnis.
Prodigium hoc variæ (ut quondam Cretenſe) recondunt
Ambage

Ambages Labyrinthi & inextricabilis error:
Ducenti quis cæca reget veſtigia filo?
Quis dubio expediet latitans ænigmate monſtrum?
Monſtrum horrendum, informe, ingens, cui Lumen ademptum!
PLAUDITE io! præſtò eſt, quod quærimus: en vetulum iſtum,
Contractâ quem fronte habituque atque indice barbâ
Philoſophum reor eſſe, illi nam plurima in ore
Scoti ſqualet imago, & docto pulvere ſordet:
At mihi quærenti biferi incunabula monſtri
Hic quaſſans caput, & protenſo pollice; inepte,
Quod quæris, ſolâ eſt in mente; & plurima narrat
Fictitiæ de *incompoſſibilitate* Chimæræ.
Nil tamen hoc; ultrà quærendum eſt; undique luſtro
Ipſum hominem, qui, utcunque ſeverus dogmate, mores
Non æquè rigidos colit; at tegit aſpera mentem
Veſtis molliculam: en! hic eſt, quem quæro, biformis
Philoſophus, vultu, ſcriptis, & moribus, omni ex
Parte ſibi diſcors; quamque explicat, ipſe Chimæra eſt.
QUIN tu, qui multo incedis ſpectabilis auro,
Et, Tyrio indutus diſtinctam murice veſtem,
Philoſophi pannos rimoſaque pallia rides,
Profer, Cotta, caput: nitido tu in tramite paſſus
Metiris curtos, tu flabrum imitante galero
Ora foves, motoſque reponis in ordine crines,
Idque unum exoptas nitidus belluſque videri.
Bellus homo es, fateor; ſed cur tibi lintea deſunt?
Cur nulla interula eſt, quin calloſam hiſpida pellem
Veſtis arat? ſubtus ſqualentes aurea celat
Panniculos tunica; & fragranti in vertice ſpirant
Paſtilli, tamen intus oles teterrimus hircum.

AT quæ ſe dubiis pictura oſtentat ocellis,
Semiferum referens hominem, formoſa ſupernè
Pectus & ora gerens, & membra decora juventæ;
Altera poſt tergum ſpecies; et parte ſupremâ
Exit equus, Dominique nates ſua cauda flagellat?
Hic equus & præceptor erat Centaurus Achilli,
Idem equitare docet juvenem, portatque equitantem.
Huic ſimiles, hunc qui toties cecinêre, Poetæ,
Deſcriptas variare vices, operumque colorem
Aſſueti, abſimileſque ſibi procudere verſus.
Sæpe levis tragicos audet Comœdia bombos,
Semideumque aggreſſa obtrudit pagina monſtrum:
Sæpe cothurnatus tragicam ſubit hiſtrio ſcenam
Torva tuens, tumidoque inflatus carmine buccas
Evomit ampullas, ſpumoſo & turgidus ore
Fulminat, ingentique boatu verberat auras.
Spectator, metuis ne obtuſæ protinus aures
Surdeſcant, tremulumve ruat clamore theatrum.
Quin tu pone metum: huic totus mox excidit ardor;
Mox inſulſa humili jactat dicteria verſu
Innocuè, & ſonitu verborum tinnit inani.
Nil tragicum ſpirat, lepidis ſed hiantia circùm
Ora modis diſtorquet, at iracundus Achilles
Therſites evadit, & exit comicus Heros.
FINGERE nec mirum eſt adeò ſibi diſſona vates,
Nam gemino oſtentat Parnaſſus vertice monſtrum,
Et primus monſtravit equinas Pegaſus alas.
Talis, qui tumidè reſonanti ebuccinat aulâ
Jurgia, cauſidicus, multum de jure boatu
Eructans patulo, talis venerabilis aurei
Imperii labor & luctus, curæque nitentes,
Anxia majeſtas atque ingens pompa malorum.

Tale

Tale eſt Imperium, Sceptrum, Regnumque, Forumque, &
Omne quod exit in Um, *ſeu Græcum ſive Latinum.*

DICITE, (nam nôſtis) Parnaſſia Numina, Muſæ,
Dicite, quo titulo mirum hoc, quo nomine, gaudet?
Parvum animal dubiæ juxta confinia lucis
Egreſſum, vitans pariter noctemque diemque:
Lenta huic porrigitur parvos membrana per artus,
Et tenui protenſa inducit brachia pennâ,
Quâ ſuſpenſum agili fertur per inane volatu:
Quin nullâ tegitur (nativâ veſte volucrum)
Plumâ; aſt incerti generis circumvolat erro,
Aut implumis avis, veſtita aut beſtia pennis.
Digna quidem, exultet quæ per palatia Regum,
Perfidaque in cæci ſplendeſcat Cæſaris aulâ,
Et lectos inter proceres det jura Senator.
Multus ibi huic ſimilis ſublimi inſignis honore
Transfuga, qui variis dubius pro partibus aſtat,
Omnibus infidus, mores cum tempore mutat;
Suſceptam linquit cauſam, repetitque relictam;
Inque vices ſumptam ponit, poſitamque reſumit;
Omnibus ex æquo fit amicus, & omnibus hoſtis.
Sic plebs inconſtans nunc huc nunc flectitur illuc,
Bellua multorum capitum: mutabile partes
Scinditur in varias *neutrum modò mas modò vulgus.*
Sic dubii generis ſorex nunc incolit undam,
Nunc terram amphibius repetit, ſaltatque per herbas.

CUM tamen hæc ſubeunt generis diſcrimina mentem;
Dicite, Grammatici (nam vos narrare ſoletis
Plurima de vocum conſenſu) dicite, diſcors
Quid ſibi vult Genus hoc dubium? nec fœmina dici,
Nec mas ritè poteſt; ſed repræſentat utrumque
Ex æquo ſexum: certè Genus Hermaphroditum.

EN! hilari multùm Rhedycinæ nota, popelli
Plurima in ore, vagæ notiſſima bellua famæ;
Cornutum vocitamus: ubi ſed cornua? nuſquam
Apparent: anne ille igitur (limacis ad inſtar)
Cornua pro libitu emittit retrahitque viciſſim?
An nos cum populo ſeducti vera putamus
Cornua, quæ lepidi finxerunt ſcommata vulgi?
Quicquid id eſt, ſanè ignoro; metuo tamen olim
Ne me etiam populus ſurgentem in cornua monſtret,
Et nota evadam ridentis fabula vulgi.

HINC multa occurrunt animo portenta, ſupellex
ASHMOLEÆ veneranda domûs (ubi marmore manco
Fictos Heroum vultus, & ludicra monſtra,
Et luſcus Phariam ſtupet antiquarius urnam)
Materies miranda & noſtris digna Camœnis:
Scilicet hæc rerum mixtâ ex farragine conſtant
Carmina, conveniuntque ſuo ſibi diſſona monſtro.

ANT. ALSOP, *Ædis Chr. Alumnus*

MUSCIPULA.

MONTICOLAM BRITONEM, qui primus
Vincula MURI
Finxit, & ingenioſo occluſit Carcere Furem,
Lethaleſque Dolos, & inextricabile Fatum,
Muſa reſer. Tu, PHOEBE potens, (nam te quoque quondam
Muribus infeſtum dixerunt SMYNTHEA Vates)
O! faveas; & tot CAMBRORUM e Montibus, unum
Accipiens vice PINDI, adſis, dum pingere verſu

Res

Res tenues, humilique juvat colludere Musâ.
MUS, inimicum animal, prædari, & vivere rapto
Suetum, impune diu, Spolii quà innata Libido
Juſſerat, erravit, ſceleratam exercuit Artem
Impavidus, ſalienſque hinc illinc, cuncta maligno
Corrupit Dente, & Patinâ malè luſit in omni.
Nil erat intactum, ſed ubique domeſticus Hoſtis
Aſſiduus conviva aderat; non Mœnia Furtis
Obſtare, aut Vectes poterant ſervare Placentas,
Robuſtæve fores; quà non data Porta, peredit
Ipſe ſibi introitum, Dapibuſque indulſit inemptis.
PESTIS at hæc totum dum ſerpſit inulta per Orbem,
CAMBRIA præcipuè flevit, quia *Caſeus* illic
Multus olet, quem *Mus* non, æquè ac plurima, libat,
Aut leviter tantùm arrodit; ſed Dente frequenti
Excavat, interiúſque Domos exculpit edules.
GENS tota incenſa eſt ſuper his; Rabieſque Dolorque
Diſcruciant animos; frendent, juga ſumma pererrant,
Stare loco ignorant, nam CAMBRIS prona Furori
Corda calent, ſubitâque igneſcunt Pectora bile;
Cum Digitis credas Animos quoque *Sulphure* tinctos.
ERGO, jubente Irâ, dignas cum Sanguine Pœnas
Sumere decretum eſt; ſed quâ Ratione Latronem
Tam cautum illaqueent, quo vindice Furta repellant
Incertum; neque *Felis* enim tua, CAMBRE, tueri
Tecta, nec adverſis poterat ſuccurrere Rebus.
Illa quidem varias poſuit circum Ora cavernæ
Inſidias, tacitoque pede ad cava Limina repens
Excubias egit; fruſtra: *Mus* nempe puſillo
Corpore ſecurus, tantò & præſtantior hoſte
Quo minor, intentum Prædæ ſi forte videret
Cuſtodem ante fores, retro irruit, inque receſſus

Auſugit

Aufugit curvos, atque invia *Felibus* Antra:
Inde caput metuens iterum proferre, nec auſus
Excurſus tentare novos, niſi caſtra moveret
Prædo, atque omne aberat vigili cum *Fele* Peric'lum.
SIC CAMBRI (CAMBROS liceat componere *Muri*)
Eluſêre Hoſtes, cùm JULIUS, Orbe ſubacto,
Imperio adjecit BRITONAS; ſic nempe receſſit
Ad Latebras Gens tota, & inexpugnabile Vallum,
Montes; ſic ſua ſaxa inter, medióque ruinæ
Delituit tuta, & deſperans vincere, vinci
Noluit; hinc priſcos memorant longo ordine *Patres*,
Indomitaſque crepant Terras, Linguæque ſenectam.
FELINOS igitur poſtquam *Mus* ſæpiùs ungues
Fugerat, & BRITONI ſpes non erat ulla Salutis
A ſocio belli, ſupremo in Limite Terræ
Concilium accitur, quâ nunc MENEVIA plorat
Curtatos Mitræ titulos, & nomen inane
Semiſepultæ Urbis; properant hinc inde frequentes
Patreſque, Procereſque, & Odorum *Sulphure* Vulgus.
TUM Senior, cui ſæpe ſuis in Montibus *Hircus*
Prolixam invidit barbam, cuique Ora Manuſque
Priſca incruſtavit *Scabies*, ſpectabilis Aulâ
Stat mediâ, fractus Senio, *Poſtique* reclinis
CAMBRORUM vexato Humeris; & Gutture ab imo
Denſas præcipitans Voces, " non, inquit, aperto
" De bello, ſed furto agitur; non exterus Hoſtis,
" Sed majus graviuſque Malum, nimis intimus Hoſpes,
" Compulit huc populum; dominabitur uſque Tyrannus
" *Mus* petulans? Vos ergo, *Patres*, venerabilis Ordo,
" Queis Patriæ pretioſa Salus, finite Dolores
" Conſilio tantos; & ſi Spes ulla ſuperſit,
" Fautrices adhibete manus; ſi CADWALADERI

" Dum

" Dum clareſcat Honos, veſtra hîc quoque Gloria creſcet.
DIXIT, & ante Oculos Fragmenta, & mucida tollens
Fruſtula, relliquias furti, monumenta rapinæ,
Exacuit CAMBRORUM Iras: Nunc æmulus Ardor
Vindictæ, nunc Laudis amor, ſub Pectore *Patrum*
Ardet, inauditam meditatur quiſque ruinam
Muri, MUSCIPULAMQUE ſtatim extudit omne cerebrum.
AT quidam ante alios notus Cognomine TAFFI,
Et magis Ingenio celebris, cui WALLIA nunquam
Æqualem peperit, *Faber* idem, idemque *Senator*,
Eximius, ſic orſus erat; " ſi Gloria Gentis
" *Caſeus* intereat, metuo ne nota Colonum
" Deficiat Cœna, & *Menſæ* Decus omne *ſecundæ*
" Divitibus pereat; quoniam ergo WALLICA Virtus,
" Et *Feles* nequeant ſuperare hæc Monſtra, fabrilis
" Dextera quid poſſit, quid Machina vafra dolique
" Experiar; *Dolus, an Virtus, quis in Hoſte requirit?*
TALIA jactantem circumſtant undique fixis
Hærentes oculis, ſperataque Gaudia læto
Murmure certatim teſtantur, & unde Salutem
Promiſſam expectent, rogitant, ardentque doceri.
Ille Caput ſcalpens, (nam multùm ſcalpere CAMBRIS
Expedit) horrendùm ſubriſit, & ora reſolvens
" Talia verba refert. Cùm feſſus membra quieti
" Heſternâ ſub nocte dedi, & ſopor obruit altus
" Lumina, *Mus* audax ſectatus, opinor, odores
" Quos non concoctus pingui exhalavit ab ore
" *Caſeus*, acceſſit furtim, & compage ſolutis
" Faucibus irrepſit, jamque ipſa in Viſcera lapſus,
" Crudas ventris opes rapere, heſternamque paravit
" Heu! malè munito furari e gutture Cœnam.
" Excuſſus ſubitò ſomnis, ſub dente Latronem,

" Dum

" Dum reſilire parat, prendi, fruſtráque rebellem
" Mordaci vinc'lo aſtrinxi. Sic carcere *Murem*
" Poſſe capi inſtructus, nova mox Ergaſtula, mecum
" Hæc meditans, ſtatui fabricare, animoque catenas
" Effinxi tales, mihi quas ſuggeſſerat oris
" Captivus. Mirum O! quali regit omnia lege
" Dextra arcana JOVIS! Quàm cæcis paſſibus errat
" Cauſarum Series! Nobis *Mus* ipſe ſalutem
" Invitus dedit, & quos attulit ante dolores,
" Tollere jam docuit; neve hunc habuiſſe magiſtrum
" Vos pudeat, *Patres*; *Fas eſt vel ab Hoſte doceri.*

HÆC ubi dicta, domum repetit; comitantur euntem
Plaudentes populi, atque benigna laboribus optant
Omina. Tum celeri ſua quiſque ad limina curſu
Nuncius it, Laribuſque refert, quæ munera TAFFI
Ingenio ſperanda forent; dumque ordine narrant
Omnia, dumque Deis, ut tanta incœpta ſecundent,
Vota ferunt, monitæ præſago pectore *Feles*,
Plus ſolito luſêre, & (ſi fas credere Famæ)
Sub manibus matrum ſaliêre coagula lactis.

INTEREA TAFFI Manibuſque Animoque viciſſim
Inſtat magno operi, & *divinâ Palladis arte*
MUSCIPULAM *ædificat*; fit Machina mira, novâque
Induitur vultûs ſpecie *Tragi-comica* moles.

QUIN age, ſi tibi, Muſa, vacat, ſpectacula pandas
Infantis fabricæ, & percurrens ſingula, totam
Compagem expedias. Quadrati Lamina ligni
Summum imumque tegit; filorum ferreus ordo
Munit utrumque latus, parviſque uti ſulta columnis
Stat Domus; introitus patet inſidioſus, amicum
Muribus Hoſpitium oſtentans; ſed deſuper horret
Janua, perniciem minitans, tenuique ruina

Suſpenſa

Suſpenſa eſt filo; (uſque adeò ſua ſtamina *Parcæ*
Muribus intexunt, & pendent omnia filo.)
In ſummo tecti, mediâque in parte tabellæ,
Stat Lignum erectum, ſciſſo cum vertice, cui trabs
Parvula tranſverſim inſeritur, juſtéque libratas
Utrinque extendit palmas, quarum altera quantum
Deprimitur, tantum annexam levat altera portam.
Interiore domo, per tecti exile foramen
Demiſſum pendet ferrum, quod mobile ludit
Huc illuc facili tactu; curvatur in hamum
Infima pars, eſcamque tenet; pars altera prendit
Perfidioſa trabem extremam: at cùm ſenſerit hoſtem
Lethales guſtâſſe cibos, mora nulla, ſolutam
Dimittit portam, primumque ulciſcitur ictum.
HIS ita diſpoſitis, pendentem protinus hamum
Induit inſidiis TAFFI, exitioſaque *Muri*
Ipſa alimenta facit, ſed quò fragrantior eſſet
Caſeus, & *Murem* invitaret longiùs, eſcam
Fatalem torret flammis, vimque addit odori.
ET jam Nox memoranda aderat, cùm feſſa cubili
Membra levans TAFFI, juxta pulvinar amicam
MUSCIPULAM ſtatuit, fidoque ſatellite tutus
Indulſit facili ſomno. Gens improba, *Mures*
Laſcivi interea exiliunt, noctiſque ſilentis
Præſidio confiſi errant; tum naribus acer
Mus quidam, dux eximius, Diis natus iniquis,
Caſtra inimica petit, quò grato flamine toſtus
Caſeus allexit. Venienti prima reſiſtunt
Clathra, aditumque negant; ſed turpem ferre repulſam
Ille indignatus, munimina ferrea circum
Curſitat, & criſpat naſum, introitumque ſagaci
Explorat barbâ; jamque irremeabile limen
Ingreſſus,

Ingreſſus, votique potens, triſtem arripit eſcam,
Exitiumque vorat lætus, potiturque ruinâ.
TAFFI, exaudito ſtrepitu, quem pendula porta
Lapſa dedit, cubito ſe protinus erigit, & ſpe
Exultat, ſtudioque videndi, quis novus Hoſpes
Venerit. Interea furit intus *Ridiculus Mus*,
Et fronte & pedibus pugnat, jamque intervallis
Clathrorum caput impingit, ferrumque fatigat
Dentibus inſanis. Sic olim in retia *Marſus*
Actus Aper, fremit horrendus, ſinuoſaque quaſſat
Vincula, ludibrium catulis, diffuſa per armos
It ſpuma, arrectæque rigent in pectore ſetæ.
POSTERA lux oritur, decurrunt montibus altis
Præcipites CAMBRI, nam cunctas venit ad aures
Res nova; quippe *Aſinus*, ſolitâ gravitate remiſsâ,
Et jam pigritiæ oblitus, laſcivior *Hædo*
Aſcendit montem, quâ CAMBRUM, diſſonus Ore,
Præconem ſimulans, ter rauco gutture rudens,
Te celebrat, TAFFI, ter publica narrat amicis
Gaudia. *Bubo* etiam (CAMBRORUM dictus ab illo
Tempore *Legatus*) per compita ubique, per urbes,
Totâ nocte errans, roſtrum ferale feneſtris
Stridulus impegit, cecinitque inſtantia *Muri*
Funera. *Parturiunt Montes*; atque agmine denſo
PEMBROCHIÆ multus ruit Incola, MERVINIÆque,
Quique tenent *Bonium*, & *Mariduni* Mœnia Vate
Inclyta MERLINO; veniunt fœcunda GLAMORGAN
Quos alit, & *Vagæ* potor, rigiduſque Colonus
GOMERICI *Montis*. Tum, circumſtante coronâ,
Illudit capto TAFFI, iratumque laceſſens,
" *Nequicquam luctéris*, (ait) *damnaberis aræ*
" *Victima prima meæ, memorique hæc limina tinges*
" *Sanguine*;

" *Sanguine; ſpes nulla eſt, retrò fugientibus obſtant*
" *Non exorandi poſtes: Dabis, improbe, pœnas*
" *Pro meritis, vitamque ſimul cum carcere linques.*

VIX ea fatus erat, cùm ludicra *Felis* aprico
Culmine deſiliit tecti, quà ſæpe ſolebat,
Cruribus extenſis, molli langueſcere luxu.
Aſpicit inſtantem captivus, & erigit aures,
Gibboſoque riget tergo, nec limen apertum
Jam tentare audet, ſed in ipſo carcere ſolam
Spem libertatis ponens, ſua vincula prenſat
Unguibus hamatis, pedibuſque tenacibus hæret.
Excutitur tamen; & *Felis* rapidiſſima prædæ
Involat, & fruſtra luctantem evadere ſævo
Implicat amplexu, crudeliaque oſcula figit.
Nulla datur requies; agili ſinuamine caudæ
Gaudia teſtatur Victrix, & flexile corpus
Laſcivo verſans ſaltu, modò corpore prono
Attentè invigilat *Muri*, modò colla benignis
Unguiculis leviter palpans, mentitur amorem,
Dum lacerare parat; variâ ſic arte jocoſam
Barbariem exercet, lepidâque Tyrannide ludit.

AT Nugis tandem defeſſa, nec ampliùs iram
Diſſimulans, acuit dentes, &, more leonis
Impaſti, incumbit prædæ: Jam pectore ab imo
Murmurat, & tremulos artus, & ſanguine ſparſa
Viſcera dilaniat. Plebs circumfuſa cruorem
Inviſum aſpiciens, lætis clamoribus implent
Æthera; Clamoreſque Echo, CAMBRÆ Incola terræ,
Læta refert; reſonat PLINLIMMONIS ardua Moles,
Et BRECHIN, & SNOWDON; Vicina ad ſidera fertur
Plauſus, & ingenti ſtrepit OFFÆ FOSSA tumultu.

TU,

TU, TAFFI, æternùm vives; tua munera CAMBRI
Nunc etiam celebrant, quotiéſque revolvitur Annus,
Te memorant; Patrium Gens grata tuetur Honorem,
Feſtivoque ornat redolentia tempora PORRO.

E. HOLDSWORTH, *e Coll. Magd. Oxon.*

IN HISTORIAM NATIVITATIS DELINEATAM In FENESTRA Orientali Eccleſ. Cathedr. CHRISTI Oxon.

Ex munificentiâ Rev. D. PETRI BIRCH, *S. T. D. Eccleſ. Weſtmonaſt. Præbend.*

LUSUS inanes, & tenues jocos
Linquam profanis. O ſtrepitum aureæ
Teſtudinis, facunda Clio,
Quæ regis, & fide grandiori
Heroas acres nubibus arduis
Cœloque donas, quæ pretium arrogas
Vitamque virtuti, nec horres
Invidiam fugientis ævi;
Vides, quid audax finxerit in vitro
Rite ordinatis dextra coloribus
Apellis, ut cunas Tonantis
Non humili referat tabellâ.

Huic

Huic quippe viſum eſt tramite fortiter
Exire noto, vimque potentium
Haurire ſuccorum, nec uſque
Indecori ſimulare fuco
Genas Puellarum & veneres breves;
Quin ipſa pandit ſidera, & aureum
Cœli lacunar, incolaſque
Lumine perpetuo decoros
Deſcribit. O nunc fas mihi Lesbias
Æquare chordas; fas opus integrum
Percurrere, & clarum ſuperbo
Artificem celebrare cantu!
Portis recluſis, ecce Boum domus!
En! plena ſtant Præſepia, & hoſpites
Mugire poſt longum videntur
Cornigeri graciles laborem.
Doloris expers, Mater amabilem
Enixa Prolem, gramineo in toro
Deponit immortale pignus,
Arma timens pecorumque vultus.
Aſt Ille cunas fortiter occupat,
Faſſuſque Numen, & jubare aureo
Perfuſus, abſterret paventes
Quadrupedes animoſus Infans.
Incerta MARIA, an PUERI oſcula
Libet jacentis Mater, an agnitum
Submiſſa adoret conditorem
Ætheris, Officiis utriſque
Diviſa pendet. Stat prope conjugem
JOSEPHUS, eventu attonitus novo:
Vix ille CHRISTI naſcituri
Conſcius, æthereique partûs.

Aſt huic futuri Nuntius aliger
Venit ſupremi de ſolio Patris,
Caſtamque felix liberavit
Suſpicione malâ Puellam,
Fœtu graveſcentem. Hoc niſi fecerat,
Heu! Virgo, triſtem connubii vicem
Experta plorares, avitâ
Pulſa domo; neque profuiſſet
Aut caſta mens, aut virgineo in ſinu
Geſtâſſe proni fulminis Arbitrum:
Quin exul egiſſes per arva
Excubias, & acuta ſaxa.
Nec te imputato crimine ſordidam
Curaret hoſpes quilibet, ut tibi
Tectum fatigatæ, vel umbram
Præbeat, aut ſtabulum dolenti.
Hîc tuta procumbe: haud Puerum boves
Dulci repellent Matris ab ubere,
Triſtíve mugitu quietem
Excutient, placidoſque ſomnos.
At ecce! robuſta ISACIDÛM manus
Tranſcurrit agros, cultaque pinguia;
Errare permiſſæ bidentes,
Dum vacui per aprica rura
Feſtum Magiſtri concelebrant diem;
Nec grata parcunt diripere horreo,
Queîs te, MARIA, munerentur,
Dona, ſalutiferumque Natum.
Hic Poma, pendentûm ſpolia arborum,
Texto reponit candida vimine;
Hic portat, aris deſtinatum,
Innocuæ leve pondus Agnæ.

Eheu!

Eheu! malorum nuntia munera!
Cui, Paſtor, Agnam? —— En! illa jacet Biden*s*
Devota cultris, illa dudum
Victima nil miſerantis Orci.
Alter, modorumque & fidium ſciens,
Seu molli avenâ ludat agreſtium
Nympharum amores, ſive lætam
Bethlemios vocet ad choream:
Nunc acriori carmina tibiâ
Procudit audax, nunc temere in melos
Non uſitatum ſurgit, ipſo
Vimque petens animumque cœlo.
Te, CHRISTE, cantat, Te, Dominum Ætheris
Clauſum tenelli coporis ambitu;
Te Matre pulchrâ pulchriorem
Progeniem: ſonat icta tellus
Clamore ſacro. Deſuper emicat
Cohors refulgentûm alta ſatellitum;
En! diſſipatas clara nubes
Ala ſecat, liquiduſque vocum
Diſcurrit error grata ſonantium.
At pervicax plectrum, O mea Pieri,
Compeſce, nec divina parvis
Verba velis ſociare chordis.
Quin cerne tandem, quà ſuperam Vitri
Illuſtrat oram Luminis aurei
Orbis coruſcans, En! ſtupendum
Ardet opus radiante flamma!
Videtis? an me Pictor amabili
Eludit umbrâ? Jam videor ſacras
Errare per ſedes Piorum,
Et rutili ſpatia ampla cœli.

Quà

Quà Lucis almæ copia fertilis,
Ceu lympha puris vitrea fontibus
Manans, inexhauſtos perenni
Dat radios fluitare rivo.
Quem, Pictor, Artis difficilem gradum
Timebis? aut quos non calamus tuus
Felix vel in Vitro colores
Expediet, teretive panno;
Qui clara cœli lumina per ſacram
Fudit Feneſtram? Nunc minùs indigent
Phœbi renaſcentis, minúſque
Templa nigras metuunt procellas;
Nunc & decoro Sancta Domus nitet
Ornata cultu, & grandia BIRCHII
Stant dona, viciniſque honorem
Conciliant capiuntque ab Aris.
Ille, ille ſuccos & calamos leves
Direxit, & doctam Artificis manum;
Nec templa (ut olim) diſcolori
Abſtinuit decorare Vitro;
Quanquam ſciebat quæ ſibi contumax
Vulgus pararet; quot fera prælia
Urſi, minarenturque Vulpes,
Atque luporum inimica ſacris
Gens, quæ, nefaſtis ebria cladibus,
Olim inquinatis polluit unguibus
Delubra, divinamque pompam
Impia diripuit, nec ipſis
Pepercit Aris. Heu! ſcelerum pudet!
Heu! nec revertatur grave ſeculum!
Nec Fana rurſus, nec Feneſtram
Caucaſiæ hanc maculent Volucres!

Tuque

Tuque O, venuſto munere nobilis,
Scribêre, BIRCHÎ, tu memor atque amans
Parentis almæ, te reponet
Perpetuis Domus illa faſtis;
Dum ſcandet Aras non tacitus Chorus,
Cœlique ritu lumina patrio
Spectabit Eoa, & refulgens
Suſpiciet, tua dona, Vitrum.

P. FOULKES, *Ædis Chr. Alumnus.*

Ἑξαήμερον.

PRINCIPIUM rerum, cœli, terræque, mariſque,
Naſcentem e nihilo Mundum, Artificemque Jehovam,
Magnum opus, aggredior tenui celebrare camœnâ.
ANTE mare, & terras, ſuperique palatia cœli,
Omnia erant Tenebræ, Chaos omnia; cùm Deus inquit,
Fiat Lux. Verbum Omnipotens Nox protinus atra
Audiit, inque ſuas fugit tremebunda latebras;
Stipatique ignes radiantia tela Diei
Miſêre, & riſit diffuſo lumine mundus.
Sic primus fulgere Dies incepit, & orbem
Deſcribens, alios latuit renovandus in ortus.
Angelicus circùm plauſu chorus omnis ovabat,
Cœleſti auratæ ſonuerunt pollice Chordæ,
Et celebrant Cantus magni natalia mundi.
CONTINUO tenues Auras ſuper omnia Numen,

Latè

Latè Firmamentum ingens, expandit; ut illic
Suſpenſæ à terris undæ, gelidique volarent
Imbres, & gravidæ maturo fulmine nubes,
Degenereſque hominum motura tonitrua mentes:
Imperiumque dedit ventis, motuſque ciere
Juſſit; ne nimio langueſceret aura calore,
Colligeretve ſimul diros immota vapores;
Ne vitæ fons ipſe per ægros ſpargeret artus
Purpureas peſtes, & certæ ſemina mortis.
OBDUCTAS ſed adhuc celabant æquora terras,
Omnia Pontus erant; juſſit cùm cedere fluctus
Omnipotens Opifex, undiſque immenſa profunda
Porrexit: Juſſæ ſubitò, velut agmine facto,
Conglomerantur Aquæ; madidum caput exerit undis
Fundus, & in valles hinc ſe ſubmittit apertas,
Aërios illinc tollens ad ſydera montes.
Incluſus ſævit minitanti murmure Pontus,
Attollitque iras, & montes volvit aquarum.
Fruſtra! perpetuas Naturæ providus Author
Oppoſuit moles, atque inſuperabile Littus.
Sed ſparſim latis errabant Flumina campis,
Manabant gelidi vario ſinuamine Fontes,
Dulci per pronas trepidantes murmure ripas;
Ne ſitiens Terra informes aperiret hiatus,
Ne ſterilis foret, atque ignavæ campus arenæ.
Ecce! jubente Deo, flores & gramina terræ
Induitur facies; rident vernantia prata,
Arvaque parturiunt nullos experta labores.
En! roſa purpureos aperit formoſa colores,
Virgineos pandunt & candida lilia vultus;
Exultat Tellus, variâque ornata coronâ
Ridet, & ambroſios circùm diffundit odores.

Scandunt

Scandunt umbroſæ ſuprema cacumina ſylvæ,
Montiſque aſcenſum ſuperant, funeſta cupreſſus,
Et quercus tectis, & pinus navibus apta.
Interea Zephyri & ſpirantes molliter auræ
Ludunt; dum rivi ſerpunt ad marginis oras,
Pinguia qui circùm glebis alimenta miniſtrant.
Tunc hilares primùm rubuerunt vitibus uvæ;
Tempora tunc diverſa Anni confuſa videres:
Quicquid frugiferis profert Autumnus in horis,
Quicquid promittunt renovati tempora Veris,
Fructuſque, & flores, fructûs ſpes pulchra futuri,
Ornabant gemino curvatos pondere ramos.

SIC ubi diſpoſuit terras Animantibus aptas,
In cœlis proprio candentem lumine Solem
Fixit, & alterius pallentem lumine Lunam.
Auricomum Solem ſtadium decurrere juſſit
Longius, aſt illam breviores flectere gyros;
Metiri ut ſpatium poſſent & Menſis, & Anni,
Et pulchrâ informes variarent luce tenebras.

ECCE! iterum Terræ pariunt, & fuſa per agros
Undique depaſcunt virides Animantia campos.
Reptilium innumeræ Gentes, quas fertile Verbum
Produxit, vitam accipiunt initumque movendi.
Immanes ſurgunt tigres, rabidique leones,
Cornigerique boves, diſtentaque lacte capella.
Ecce! novis tremulum diverberat Aëra pennis
Alituum Genus, & multo ſuper æthera plauſu
Fertur, & undantes implet concentibus auras.
Nec ſuus interea deerat vagus incola ponto;
Errabat multus paſſim per cœrula piſcis
Æquora; præ reliquis ingens Balæna, Tyrannus
Oceani, vaſtam molem laſciva per undas

Provolvit, liquidi terrorque & gloria regni.
SANCTIOR his, & qui dominari in cætera poſſet,
Tandem natus Homo eſt; propriæque huic indidit auræ
Particulam, imperium huic ingens, ſedeſque beatas
Indulſit rerum Genitor, ſacroſque labores,
Quos jam finîerat, laudans, Abſolvimus, inquit,
Magnum opus: hinc, Tempus, tuus hinc exordia ſumat
Computus, & pulchro diſtinguat Sæcula gyro.

——— *Cantabr.*

SPHÆRISTERIUM.

HIC, ubi graminea in latum ſeſe explicat æquor
Planities, vacuoque ingens patet area campo,
Cùm ſolem nondum fumantia prata fatentur
Exortum, & tumidæ pendent in gramine guttæ,
Improba falx noctis parva incrementa prioris
Deſecat, exiguam radens à ceſpite meſſem:
Tum motu aſſiduo ſaxum verſatile terram
Deprimit extantem, & ſurgentes atterit herbas.
Lignea percurrunt vernantem turba palæſtram
Uncta, nitens oleo, formæ quibus eſſe rotundæ
Artificis ferrum dederat, faciliſque moveri.
Ne tamen offendant incauti errore globorum,
Quæque ſuis inciſa notis ſtat ſphæra; ſed unus
Hanc vult, quæ infuſo multùm inclinata metallo
Vertitur in gyros, & iniquo tramite currit:
Quin alii diverſa placet, quam parciùs urget
Plumbea vis, motuque ſinit procedere recto.

POST-

POSTQUAM ideo in partes turbam diſtinxerat æquas
Conſilium, aut ſors; quiſque ſuis accingitur armis.
Evolat Orbiculus, quæ curſum meta futurum
Deſignat; jactique legens veſtigia, primam,
Qui certamen init, ſphæram demittit, at illa
Leniter effuſa, exiguum quod ducit in Orbem,
Radit iter, donec ſenſim primo impete feſſo
Subſiſtat; ſubitò Globus emicat alter & alter.
MOX ubi funduntur latè agmina crebra minorem
Sparſa per Orbiculum, ſtipantque frequentia metam,
Atque negant faciles aditus; jam cautiùs exit,
Et leviter ſeſe inſinuat revolubile lignum.
At ſi fortè globum, qui miſit, ſpectat inertem
Serpere, & impreſſum ſubitò langueſcere motum,
Ponè urget Sphæræ veſtigia, & anxius inſtat,
Objurgatque moras, currentique imminet orbi.
Atque ut ſegnis honos dextræ ſervetur, iniquam
Incuſat terram, ac ſurgentem in Marmore nodum.
NEC riſus tacuêre, globus cùm volvitur actus
Infami jactu, aut nimium veſtigia Plumbum
Allicit, & Sphæram à recto trahit inſita virtus.
Tum qui projecit, ſtrepitus effundit inanes,
Et, variam in ſpeciem diſtorto corpore, falſos
Increpat errores, & dat convitia ligno.
Sphæra ſed, irarum temnens ludibria, cœptum
Pergit iter, nulliſque movetur ſurdá querelis.
ILLA tamen laudes ſummumque meretur honorem,
Quæ non dirumpit curſum, abſiſtitque moveri,
Donec turbam inter crebram dilapſa ſupremum
Perfecit ſtadium, & metæ inclinata recumbit.
Hoſtis at hærentem Orbiculo detrudere Sphæram
Certat, luminibuſque viam ſignantibus, omnes

Intendit vires, & miſſile fortiter urget:
Evolat adducto non ſegnis Sphæra lacerto.
HAUD ita proſiliens Elëo carcere pernix
Auriga invehitur, cùm raptus ab axe citato
Currenteſque domos videt, & fugientia tecta.
SI tamen in duros, obſtructa Satellite multo,
Impingat ſocios, confundatque orbibus orbes;
Tum fervet bilis, fortunam damnat acerbam,
Atque Deos atque aſtra vocat crudelia.———
SI vero incurſus faciles, aditumque patentem
Inveniat, partoque hoſtis ſpolietur honore:
Turba fremit confuſa, ſoniſque frequentibus, Euge,
Exclamant Socii; plauſu ſtrepit omne Viretum.
INTEREA feſſos inimico Sirius aſtro
Corripit, & ſalſas exudant corpora guttas;
Lenia jam Zephyri ſpirantes frigora, & umbræ
Captantur, vultuque fluens abſtergitur humor.

Jo. ADDISON, *è Coll. Magd.*

ARCHIMIMUS:

ANGLICE,

CLENCH of BARNET.

GESTICULATORIS motus, vultumque loquacem,
Et dubia ora canam, varias imitantia formas:
Necnon multiſonæ pandam miracula linguæ.
NEC Tu, dum levium refero ſpectacula rerum,

Tor-

Tormentum innocui, Muſa, aſpernare cachinni;
Nec riſiſſe ſemel pudeat, ſi alterna facetus
Exuit, induit, ora, aliuſque apparet & idem.
OCYUS huc, omnes! Medicorum Floſque Decuſque
Pulpita conſcendit, lepidâ gravitate notandus
Galliculus, geſtu ridendus & ore bilingui.
Nulla fames urget Nummi; id ne credite: veſtrî
Neſcio quo venit, Angligenæ, correptus amore.
Nempe Anglos Gallus veteres vetus hoſpes amicos
Corde fovet toto, & generoſæ prodigus artis
Nil petit —— exiguum grati niſi pignus amoris.
Quæ regio in terris Medicæ non conſcia famæ?
Ægyptos, Perſas, Garamantas novit, & Indos,
Quà ſit hyems ſub utroque polo, qualis plaga ſævo
Torrida ſemper ab igne, & non habitabilis æſtu;
Longiùs ut credas ipſo vel Sole vagatum.
MOX, larvâ velut exutâ tragiciſque Cothurnis,
Projicit ampullas, proditque Popino Machaon.
En qualis roſeo ſtupor inſidet ore facetus!
Ecce ſoporatos ut vix attollat ocellos!
Inſtabile ut libret corpus, metuatque ruinam,
Inſulsùm ridens! à ſummo vertice ad imos
Ebrius eſt talos, totuſque fatetur Iacchum.
Quis Deus, Ebrioli Fautor, veſtigia firmat?
Nam fauſto titubans pede volvitur, atque cathedræ,
Non ſine Diis tutus, medias delapſus in ulnas,
Hæret in amplexu: mox ore effutit inepto,
Non bene junctarum miſtâ farragine rerum,
Pocula, regna, jocos, uxorem, & nobile bellum —
Somne, quid in medio tu corripis, invide, luſu,
Feſtivo comes heu! nimiùm conjuncte Lyæo?
Aſt illum pariter ſomno vinoque ſepultum

Tollite, nec reditum deſpero; Corpus onuſtum
Innocuo torpore Animum non prægravat unà.
ECCE! redit, ſubitâque pedes correpta ſenectâ
Claudicat, & baculo vixdum ſuffulta trementes
Artus, ingreditur pauper Muliercula ſcenam:
Deſertam queritur ſeſe, niſi parvulus infans
Hæreat in gremio, ſolatia blanda ſenectæ.
Nec mora; continuò fabellas garrit aniles,
Strenua præteriti laudatrix temporis; olim
Quos meminit luſus! quali viguiſſe juventâ
Effœtum corpus! quæque arma ſenilia bello
Jam defuncta canit! multùm lallare perita
Infanti querulo, lachrymaſque arcere canendo.
Mox vetulo fovet illa ſinu, atque amplexa miſellum
Blanditiis torquet, nimioque fatigat amore.
Omnis in hoc verſata manet; ſola illa voluptas,
Epotos ni fortè juvet meminiſſe culullos.
EXIT anus; ſubitóque ingens ferit æthera clamor;
Jam, quos fert hilares Venatica turba, tumultus
Audio; jam latrare Canes, urgere Magiſtros,
Et montes læto ſtrepitu reſonare propinquos.
I, Venus! I, fauſto pede, Phylli! Euge, optime Adoni!
Macte eſto virtute, Cupido! Eques arduus inſtat:
Inſequitur clamorque virûm ſonituſque tubarum.
ORGANA quid memorem varium ſpirantia cantum,
Tibiave ut placido demulcens murmure curas
Intima pertentet, molleſque inſpiret amores:
Dum tuba languentes reficit clangore minaci,
Bella canens, animumque vetat molleſcere luxu?
HAUD ſecus attoniti vario olim carmine flexit
Timotheus Pellæi animum; dum pectine leni
Fila lyræ querula attingit, per pectora furtim

Flamma

Flamma levis ſerpitque, & cor depaſcitur intus;
At ſi fortè acres armorum dextra tumultus
Eliciat, chordaſque tonet ſine more per omnes:
Extemplo abſiſtunt oculis ardentibus ignes,
Impulſuſque in bella furit, Martemque requirit.
CONTICUIT tandem; jamque ora intenta tenentes,
Quam ſumpſiſſe paret faciem, expectamus; at, Ecce!
Ipſus adeſt coràm, proprioque incognitus ore.

C. H. *Coll. Jeſ. Cantab.*

GLORIÆ VIS;

SIVE

Certamen Navale inter —— HARMANNUM *Anglum & Præfectum quendam Belgicum, Honoris ergô, commiſſum.*

TE ſequar, Alcide; non Te fera bellua Lernæ
Tergeminique canis rictus, non vaſta ter ampli
Geryonis terret moles: Acheronte ſubacto,
Perdomitâ terrâ, &, quod monſtro immanius omni,
Irâ fœmineâ, patrium conſcendis Olympum;
Quod tuleras, preſſurus onus, pars magna futurus
Ponderis ipſe tui. Merces ô maxima Divûm
Gloria! proh quantum mortalia pectora cogis
Sacra ſitis famæ, laudumque immenſa cupido?
Terreſtres facis una Deos; hâc Arte QUIRINUS,
Hâc proles LEDÆA polos, hâc ipſe GRADIVUS

Commeruit: Superos videas Aulamque Deorum;
Undique bellanti collucet ſidere Cœlum.
QUALIS erat, magni ad tumulum cùm ſtaret Achillis,
PELLÆUS Juvenis! quantas tum pectore flammas
Concipit! ut mundum ſpatio ſuperare minori,
Urbs quàm Troja capi potuit, vovet! æſtuat arcto
Limite terrarum: domitos poſt Seras & Indos
Extremi ſtat fine orbis: jam deficit hoſtis,
Nec quod vincat, habet! tandem ceſſante triumpho,
Majus in imperium Natum Pater excipit Hammon.
QUID memorem ignotas Virtus quò bellica Gentes
Extulit: exiguum Romam modò fecit Aſylum.
Nunc quæ ſubjectum ſeptenis collibus orbem
Regia deſpectas, famæ cui ſidera Limes,
Imperii Oceanus, Divûm cui templa reſurgunt
Aurea, ſidereæque arces; tum Roma minantes
Fidenas metuiſti, humilis tunc Æde QUIRINUS
Straminеâ jacuit, tum cannâ tecta paluſtri
Tarpeiamque domum & Capitolia parva videres.
TU decus Heſperiæ, tu gloria Gentis Iulæ,
CÆSAR, ab ingratâ patriâ nunc addite Cœlo,
Tu licèt aſtriſero præcinctus tempora ſerto
Et lauro ſtellante mices, licèt ipſe Tonanti
Proximus, Iliacâ porrectaque pocula dextrâ
Purpureo ore bibas; non hæc tibi gaudia tanti,
Quanti erat excelſo Capitolia ſcandere curru
Victori, & Romæ lætos egiſſe Triumphos.
O mihi ſi talem dederint mea Numina lucem,
Una dies mihi vita foret, lux una triumphi
Vel ſec'lo potior: pretium quodcunque placeret,
Letho emerem; mihi non ignava ſilentia cordi,
Et Pyliæ ætates, nigræque ſimillima morti

Tempora,

Tempora, ſed longæ ventura in ſecula famæ
Immortalis honor, qualem ſortita Britannûm
Gens fœta Heroum, quos fama immiſcuit aſtris.

NON antiqua cano, quantus CARACTACUS olim,
ARVIRAGUSque ferox, animi aut BONDUCA virilis,
Nec toties pulſam Rutupino à littore Romam,
Et ſua quæſitis vertentem terga Britannis.

QUIN BRUTUM ſacro longævi carmine Bardi
ARTURUMque Duceſque ſonent: cantu efferat alter
Creſſiacamque fugam, atque exutos Pictonas armis,
HENRICIque animos, & nomina magna, EDOARDOS;
Territa queis victas ſubmiſit Gallia dextras,
Anglorum vi fracta, rubro cùm vortice inundans
Diſcolor in trepidos fugiebat Sequana fontes.

NOS quoque, Belgarum terrorem & fulmina belli,
Angligenas, Sandvicum arcem, invictumque RUPERTUM
Dicet, qui totas olim Permeſſidis undas
Hauſerit, æternumque dabit per ſecula nomen:
Teque etiam, JACOBE, ingens Patris incrementum,
Civica cui frontem decoravit fronde Corona
Ultrajectinas cùm MOSÆ ad flumina primus
Intrâſti portas, inſtaurans prælia Gallis.

AT Tu, qui nuper Virtutis magna Britannæ
Argumenta dabas, tunc & redimite coronâ
Navali felix, & adhuc in fronte virenti,
Hoſtica cùm Bugiæ ad portus incendia latè
Sparſeris Argeriæ in claſſem, qui terror Iberis
Heſperios Batavo tinxiſti ſanguine fluctus;
Tu noſtrâ dicende venis HARMANNE Camœnâ.

LITTUS ad Occiduum, feſſique cubilia Phœbi,
Quà pater Oceanus, ſua regna, Atlantica volvit
Æquora, in antiquo mundi ſtant limite Gades.

Hos inſtructa armis & multo milite portus
Appulerat puppis Batavûm, ſociaſque requirens,
Invenit Hiſpanâ tutas ſtatione Carinas.
Fortè ignara mali, longum delata per æquor,
Feſſa viâ, Batavæ ſucceſſit bellica navis
Angliaca; hoſtilemque inter jacet unica claſſem.
Dux HARMANNUS erat: fremit exitiumque minatur
Belga ferox; prohibet tuti reverentia portûs,
Hoſpitii ſacra jura vetant: nam fœdus utriſque
Tum commune habuit, pacemque colebat Iberus.
Pronior in Batavum favor eſt; & fraudis avitæ
Jam memor atque odii, ſtat prædæ exponere navem,
Nec violare fidem, & pacem ſervâſſe videri.
Spargere tum famam in vulgus, fugiſſe trementem
Oceano Belgam, detrectantemque Britanni
Prælia, ſecuro pavidum conſidere portu,
Victoremque ſequi, atque imbelli inſiſtere prædæ.
ACCENSI Batavorum animi Martemque requirunt,
Dux etiam puppis, modo quem fugiſſe ferebant,
Depoſcit pugnam, atque in prælia provocat Anglum.
Olli conditio accepta; exemplumque daturus
Virtutis patriæ lætus ſeſe ingerit hoſti.
Protinus armari navem, & ſe accingere Marti
Ductor uterque parat; tum vela capacia ventos
Collectura omnes, curvataque ſuppara tendunt.
Tranſtra per antennaſque alii duroſque rudentes
Tranſcurrunt celeres, ſummoque apluſtria malo
Bellica ſuſpendunt, utriuſque inſignia Gentis.
Arma locant alii, longéque minantia lethum
Liventi nitro tormenta & glandibus implent.
Pars alia acclamat, connixaque viribus inſtat,
Unaque laxato diducitur anchora fundo.

AT

AT non Belga ſibi ſiſus, numeroque ratique,
Inſtruit atque novo complebat milite puppim.
Quinetiam inſidas metuens agit arte dolosâ
Inſidias; latuêre ſinu nam fortè propinquo
Tres Batavûm naves, inque altum exire jubentur,
Auditæque procul celeres ſuccedere pugnæ.
Dux etiam, antiquo Gentis de more, popoſcit
Spumantem vino pateram, ſociiſque propinat
Pocula plena mero; litat hoc libamine Marti.
Illi inter ſeſe multâ vi brachia tollunt,
Exſiccantque cados; it plus quàm nauticus omni
Tum clamor cœlo: nec prælia juſta parari,
Sed Lapitharum epulas credas aut Orgia Bacchi.
SOBRIUS interea Ductor, multumque priori
Diſſimilis, poſtquam belloque operique paratum
Eſſe videt Nautam; aptatamque in prælia puppim;
O Socii, potior Batavûm virtuſve Britanna
Experiemur, ait: Me ſic nunquam hoſte protervo
Antè laceſſitum, jactanter in arma vocare
Pœniteat Belgam: Patriæ fortuna decuſque
Nobiſcum hâc unâ vehitur rate, cernet Iberus
Littore, GREENVILLUMque iterum DRACUMque timebit.
Nec longo nobis opus eſt certamine, pulchram
Aut mortem hora mihi dabit, aut dabit una triumphum;
Et victos condet fluctu, aut feret æquor ovantes.
AT verò Hiſpanus, cùm decertare paratas
Eſſe videt, portus extra jubet ire carinas,
Amplus quà pugnæ pateat lato æquore campus;
Securus juxta & lætus navale duellum
Littore viſurus, totâ ſtat vulgus arenâ
Confertum, vacuas urbes & rura relinquens.
Talia non olim vidit ſpectacula Roma,

Nec

Nec talem tulit ipſa Virum. Portu ire priores
Cernuntur Batavi, atque iterum depoſcere bellum,
Et canere ingenti clamore, ante arma, triumphos.
Angliaca inſequitur puppis, curſuque ſilenti
Scindit aquas: audax facinus, temerariaque arma
Irrident alii, pars & miſeratur euntem
Damnatam letho, & nimiâ virtute cadentem.

JAMQUE altum tenuêre rates, & claſſica pugnæ
Signa dabant; inflant lituos, & tympana pulſant,
Inſonuitque fragor latè Siphonis aheni
Fulmineus; tonitruque novo cœlum omne remugit.
Scilicet is pugnæ Batavûm modus, eminus arma
Projicit, & vanos jaculatur longiùs ignes.
Tela fluunt velis, aut fixa rudentibus hærent
Incaſſum, aut feſſæ reſident in marmore glandes.
Interea ignarum miratur littore vulgus
Flammas excipere & parcè torquere Britannos;
Inque hoſtem intrepidos per tela minantia & ignes
Tendere iter propius, Batavæque accedere puppi.
Utque ubi torvus aper Calydonia liquerit arva
Theſſalicos populatus agros, immittit in hoſtem
Paſtor Amyclæumque canem, grandemque Moloſſum;
Accurrunt circa, & fugiunt, prædamque timentes
Stant longè, & vacuum latratibus aëra replent:
Illi indignanti ſetis terga aſperat ira;
Frendet, & exacuit dentem, ſternitque rotatque
Obſtantes, multoque cruentat ſanguine terram.
Sic BRITO, ut hoſtilem tandem eſt delatus in alnum,
Acrior accelerat curſum, prorâque minanti
Irruit in proram; atque implexis funibus hæſit,
Vinculaque injecit, ferratoque alligat unco;
Ne fugiant, illud metuit fortiſſimus unum.

Nec

Nec mora, quà puppi protenditur area roſtro,
Sulphureo ſecat igne viam, latumque per hoſtem
Findit iter; ventis & fulminis ocyor ictu
Plumbeus imber agit mortes: tabulata, trabeſque,
Malique antennæque novâ gemuêre procellâ.
Inſiluit Dux ipſe rati, ſociique ſequuntur;
Cominus hinc atque inde neces, & vulnera fortis
Spargit, & obſtantûm jugulos petit, & fodit enſe.
Jamque ſuper ſtrages & denſa cadavera Victor
Quærit adhuc hoſtem; laceræ pars ima carinæ
Clauſtra petit, cæciſque pavens evellitur umbris;
Cum Duce pars veniam ſupplex, vitamque precatur:
Ille ubi proſtratóſve ſibi, vel morte jacentes
Conſpexit; nimióque madentem ſanguine dextram:
Relliquias Batavûm triſtes, ſtragemque miſertus
Infandam, ignoſcit facilis, vultuque ſereno;
Nec viciſſe adeò placuit quàm parcere victo.
ET jam Victor ovans reſonantia littora plauſu
Intrat adoratus populis, & vulnus honeſtum
Fronte gerens, proprioque hoſtiſque cruore decorus.
SUBSEQUITUR captiva ratis, devincta catenis
Angliacæ puppis veteris de more triumphi;
Cærula deſcendunt malis, rutilæque Britannûm
Signa cruces toto fluitant victricia cœlo.
TU verò antiquam, Dux invictiſſime, Calpen
Tranſgredere, Herculeaſque ultra ſpatiare columnas,
Nec Gades tibi limes erunt; dum littus Iberum
Æquora perpetuo pulſant Atlantica fluctu,
Albionemque tuam complectitur Amphitrite,
Te pennâ ſtridente vehat per ſidera fama,
Heroaſque ferens, Tua cœlis innatet Argo.

AD

D. D. *HANNES*,

INSIGNISSIMUM

MEDICUM & POETAM.

QUi canoro blandiùs Orpheo
Vocale ducis carmen, & exitu
Feliciore luctuoſis
Sæpe animam revocas ab umbris,
Jam ſeu ſolutos in numerum pedes
Cogis, vel ægrum & vix animæ tenax
Corpus tueris, ſeu cadaver
Luminibus penetras acutis;
Opus relinquens eripe te moræ,
Frontemque curis ſolicitam explica,
Scyphúmque jucundus require
Purpureo gravidum Lyæo.
Nunc plena magni pocula poſtules
Memor WILHELMI, nunc moveat ſitim
Miniſter ingens, Imperîque
Præſidium haud leve, MONTACUTUS.
Omitte tandem triſte negotium
Gravéſque curas, heu nimiùm pius!
Nec cæteros cautus mederi
Ipſe tuam minuas ſalutem.

Fruſtra

Fruſtra cruorem pulſibus incitis
Ebullientem pollice comprimis,
Attentus explorare venam
Quæ febris exagitet tumentem:
Fruſtra liquores quot Chymica expedit
Fornax, & error ſanguinis, & vigor
Innatus herbis te fatigant:
Seriùs aut citiùs ſepulchro
Debemur omnes, vitaque deſeret
Expulſa morbis corpus inhoſpitum,
Lentúmque deflebunt nepotes
(Relliquias Animæ) cadaver.
Manes videbis Tu quoque fabulas,
Quos pauciores fecerit Ars tua;
Suúmque victorem viciſſim
Subjiciet Libitina victrix.
Decurrit illi vita beatior
Quicunque lucem non nimis anxius
Reddit moleſtam, urgétve curas
Sponte ſuâ ſatis ingruentes;
Et quem dierum lene fluentium
Delectat ordo, vitaque mutuis
Felix Amicis, gaudiiſque
Innocuis bene temperata.

Jo. ADDISON, *e Coll. Magd.*

JACOBUS II.

DUM capiti lætos Regali innectit honores
Turba favens ſtudiis, dum circùm compita fervent
Plauſuque fremituque; quid ô, Parnaſſia Diva,
Quid tu ſola taces? eſt & felicis Olivæ
Atque Hederæ tibi vis, & quæ per tempora Regum
Laurus eat victrix: age multo Numine fœtos
Annales ordire, & non ignobile carmen.
ANGLIACOS latè jam deſolaverat agros
Civilis rabies: populus jam victor avitis
Depulerat CAROLUM ſceptris: &, nequid inauſum
Linqueret, indignâ ſtatuit fœdare ſecuri
(Siqua fidem tanto eſt ſceleri latura vetuſtas)
Sacratum caput, & vinctos diademate crines:
Nec ſatis hoc: ipſam cupiunt à ſtirpe STUARTÛM
Evertiſſe domum, atque æternæ gentis honorem.
Nequicquam! longè venturi provida mater
Senſerat hæc, & Te nimium, JACOBE, paternis
Vicinum fatis nebulâ ſubduxit amictum
Fœmineâ: favit cœptis audacibus ætas
Mollior, & dubiæ tenerâ lanugine malæ.
Talem flava Thetis magni Chironis Alumnum
Eripuit bellis, & trans vada cærula vexit
Virgineâ tectum pallâ: ſtupet æmula formam
Deidamia parem; victæ indoluêre ſorores.
EX illo qui Te palantem egêre labores

Æquora

Æquora per terraſque? O nuſquam rebus in arctis
Fratre minor CAROLO! Patris ô non degener hæres!
Finibus extorris, peregrinæque hoſpes arenæ
Quas ſupplex gentes, quas non oraveris urbes?
Heu duram ſortem & Divos expertus amaros!
Non tamen his animi virtus infracta ruinis
Succubuit; Ligerin teſtor, Rhodanique fluenta
Vulneribus Francorum & pigro ſordida tabo:
Teſtor & undantes Dunkirkæ ſanguine foſſas,
Atque tuum, Mardika, haud exuperabile vallum,
Cùm portas ſuper, atque ipſis pro mœnibus Heros
Audaret fruſtra: infelix quòd milite Flandro
Uſus in adverſos iviſſet forte Britannos.
Quali Marte ruens, quàm magnæ prodigus iræ
Arma Nemuriadum & disjectas perculit alas!
Illa dies atque illa animoſo in pectore virtus
Nutantem ſolio LODOICUM & Gallica fata
Suſtinuit, ſtupet in tantis TURENNIUS auſis,
Seque premi dolet, & partas areſcere lauros.
ET tamen hunc toties defensâ excedere terrâ,
Galle, jubes; neque Te juncti vicinia movit
Sanguinis, hoſpitiive fides: valet uſque Tyranni
Fama minax, & OLIVERIANI Nominis horror.
Quanquam (ſiqua ſuos tangunt præſagia Vates)
Tempus erit quondam cum te, LODOICE, paventem
JACOBUS non jam ſupplex inviſerit hoſpes;
Cùm ſternet Gallos, cùm magna in prælia vindex
Ducet avos, atavoſque, & quas EDOARDUS in armis
Impiger, aut melior concepit Filius iras.
Ducet enim, ac multo Pariſinos ariete muros
Victor ovans impellet, & in ſua jura Caleti
Avulſum trahet imperium, Normanaque regna.

Tum

Tum vos Iſiacæ, gratiſſima Nomina, Muſæ
Idem tanget honos, qui nunc; ſimiliſque videri
Ibit magna dies: iterum ceciniſſe juvabit
CAROLIDEN, capitique recentem aptâſſe coronam;
Solenni hæc iterum reſonabunt Mœnia plauſu.

TU tamen exhauſtos, age, nunc molire labores;
Venturum decus, ac ſerarum præmia laudum
Dîs, Erato, permitte: vides quas læva Britannis
Fata tulêre vices! quis rerum volvitur ordo!
Avulſum ſolio CROMWELLUM pallida Ditis
Regna tenent: ſævit flagris ſubigitque fateri
Tiſiphone inſultans; circùm fœda agmina ſtipant
Gorgones, Harpyiæque, atque informes Centauri.
En CAROLUM! En reduces Rutupina ad littora Fratres!
Quà tendunt per agros, perque urbes, aurea circùm
Pax & priſca Fides, & formoſiſſima rerum
Libertas nitet, atque effuſo Copia cornu.

O magnas experte vices JACOBE, ſecundis,
Qua licet, utere Dîs; cape felix pacis amœnæ
Intermiſſa diu ſtudia, ac florentia dona.
Nec Te longa manent: jam nunc antiquus ad arma
Te poſcit Mavors, iterumque in bella reſorbet.
Ecquid enim vix dum natali Belga palude
Elapſus, ſtagniſque informibus, Oceanum omnem
Abripiet, pelagoque impune volabit aperto?
Ille etiam Angligenas audaci Marte laceſſet,
Ultores Britonas, ſociamque oblitus ELISAM?
En & nunc quantis inſtaurat claſſibus æquor
Hinc atque hinc, oditque moras, atque increpat ultro?
Demens! qui JACOBI haud æqua in bella ruentis
Excierit nimboſque & non imitabile fulmen!
Ille aderit damnoque moras graviore rependet.

Haud

Haud aliter vidi meditantem prælia taurum
Stare procul, vultuſque truces animoſaque colla
Fingere, libratoque iraſci in vulnera cornu:
Dein, ubi collectæ volvuntur naribus iræ,
Proruit, atque omnem rapido pede ſpargit arenam.
Quas ſtrages tulit illa dies! quæ funera vidit,
Et quales lethi facies! cùm Marte ſecundo
Terribilis puppi ſtaret JACOBUS in altâ,
Et Batavûm laceras vexaret ſulmine quercus!
Audiit, intremuitque imis Haga fundamentis,
Intremuêre lacus, perque uda cubilia preſſit
Rugitum Leo, ſeptenoque obmutuit ore.
Quà ferret ſe cunque, neces & vulnera ſpargens,
Illac retro acies ac ruptas ire phalanges
Compulit, & vacuo ceſſerunt æquore Belgæ.
Haud tulit hoc partas Suedorum ſanguine lauros
OPDAMUS recolens, ſeſeque objecit, & omnem
Excepit belli nubem, intorſitque receptam.
Tum verò volitantûm hinc illinc ingruere imbrem
Telorum, volvi fumos & ſtridere glandes
Alatas: medius regnat pavor; omnia latè
Caligoque umbræque & circumfuſa tenet nox.
Tres illic juvenes crudeli funere raptos
Vidiſti, JACOBE; Tibi quoque miſſile plumbum
Affuit, & ſparſæ rorabant ſanguine veſtes.
Felices animæ, quibus hoc ſub Judice coràm
Contigit oppetere, & tam pulchro vulnere labi.
Non vos indecores, nec inultæ errabitis umbræ:
Pœnarum ipſe ſatis jam nunc pro talibus auſis
OPDAMUS luet, atque eadem mox regna tenebit.
Namque, ut CAROLIDES magnis ſe accinxerat iris
Torva tuens, Ductorque Duci jam cominus ire

Apparat.

Apparat, & ſtricto ad puppim mucrone coruſcat;
Protinus immani (ſeu fors hoc, ſeu Deus author
Egerit, incertum eſt) Batavûm ratis icta fragore
Diſſiluit: piceæ ſurſum cum turbine Nubes
Volvuntur, miſtæque atrâ caligine flammæ:
Tum verò paſſim vidiſſes gurgite vaſto
Antennaſque, foroſque, & truncos vulnere malos,
Nigranteſque trabes, ſemuſtaque robora ferri;
Arma quoque, & laceros (immania corpora) Belgas.
HACTENUS Hollandis animos vireſque Lyæi
Indomiti rabies ſuffecerat udaque virtus:
At ſimul OPDAMI cladem ingenteſque ruinas
Proſpexêre, ruunt ſubiti, clavoſque reductos
Expediunt, omneſque vocant ad carbaſa ventos.
Terga premit JACOBUS, & impiger æquore toto
Palantes agit, & repetito ſulmine vaſtat;
Nec mora, nec requies; BLACI ſubridet imago,
Atque Amboynæi ſaturantur ſanguine Manes.
BELLIS parce, Brito: jam nunc tibi Thameſis ultrò
Cæruleum pandit gremium, Tuque inclyte Victor,
Ingredere ô, crineſque obtentu frondis inumbra.
Aſpice, qui coëant populi, quo littora plauſu
Icta ſonent! paſſis ante omnes CAROLUS ulnis
Gratatur reduci, longúmque amplexus inhæret.
Actiaci talem Cæſar poſt funera Martis
Se tulit invectus triplici Romana triumpho
Mœnia: procedunt famulæ longo ordine gentes,
Æthiopes, Lelegeſque, ſagittiferique Geloni.
Tum lætus viguit Pæan, tum carmine feſto
Albion inſonuit. Quin Tu popularibus auris
Fide parum, JACOBE; eadem mox turba revulſum
Proſternet decus, & direptas vertice lauros.

Illius

Illius imperiis patrio Tu littore quondam
Excuſſus peregrina iterum vagus arva requires:
Antiquis iterum fatis exercitus ibis
(Heu Tibi!) per ſcopulos, & per maria aſpera ventis:
Ah! quàm penè die Britonum ſpes occidit illo,
Cum, quæ Te vexit, bibulis hæreret arenis
Fixa ratis, rimiſque inimicum admitteret imbrem
Horridum hians, jam jamque vado ſubſideret imo.
Tum vitreo (ut fama eſt) mœſtùm ingemuêre cubili
Neriëdes Nymphæ: tum monte Britannia ſidens
Diva ſuper, canos pictaï frontis honores
Turpavit, diæque verenda inſignia pallæ:
Lapſa manu ſceptra, atque excuſſæ vertice Turres.
Quod Te tunc Numen tanto diſcrimine præſens
Eripuit, JACOBE? Deûm certiſſima cura,
Salve, Fatorumque labor! cui militat æquor;
Cui venti, vigiliſque armamentaria cœli.
O ſueti nimiùm Patres per devia ferri!
O populi rabies! ut vos præcordia ſubter
SHAFTSBURIANA lues, & trux accendit Erinnys!
Sic decuit patriæ dilecto e limine pelli,
Qui patriæ ſumptis ſteterat tutamen in armis!
Sic ponti cœlique in aperta pericula mitti,
Qui maris imperium vindex, ſævumque tridentem
Aſſeruit! geſti ſunt hæc ſtipendia belli!
Quis furor eſt Illi ſceptra invidiſſe Britanna,
Quem Dominum velit Europa? hunc aſciſceret ultrò
Gens Lithuana Ducem, Thracis qui cornua Lunæ
Frangeret, Iſmariique retunderet arma Tyranni.
Illi Cæſareas Germano addente ſecures
Cederet Auſtriacus, ſtet quanquam ſtemmatis ordo
Æternus, miſſumque Deorum à ſanguine Nomen.

QUIN

QUIN tu, cæruleis gratiſſima Tethyos ulnis
Albion, & circumfuſi decus Ennoſigæi,
JACOBO gratare tuo: viden'? ille malignas
Evicit tandem Parcas: ille omine fauſto
Imperiis jam aſſurgit, & Anglica regna capeſſit.
Quantus ſeſe infert populis! qualiſque videri,
Hinc atque hinc feſtâ Procerum ſtipante coronâ
Incedit! Lucent effuſis aurea flammis
Tempora; Fraternumque aperitur vertice ſidus.
Haud alius ſolium ſtellis ardentibus aptum
Conſcendit Pater Omnipotens: ſtant limina circum
Divi, Semideique, & (Ruſtica Numina) Fauni:
Fit ſonitus, tremulumque perambulat atria murmur.

Recitavit in Theatro Apr. 23. 1685
——— *ex Æde Chriſti.*

CARMEN
CORNU VENATICO
INSCRIPTUM.

RURIS O Præſes, Nemorumque Virgo,
Ecce Venatûs ſtudioſa Pubes
Quæ Tibi vovit! Cape nunc, & olim
Leniter audi.

Hoc ſimul Cornu ſonuit, repente
Ipſa Te, Diana, Tuaſque Nymphas
Affer in Curſum; & latebris morantem
Excute prædam.

Sic

Sic Tuos nuſquam temeret receſſus
Capripes! ſic Te, per operta, nullus
Cernat ACTÆON, ubicunque puro
Fonte laveris!

——— *ex Æde Chriſti.*

CARMEN

Poemat. Oxon. in Obitum Auguſtiſſimæ & Deſideratiſſimæ Reginæ MARIÆ *ſecundæ inſcriptum.*

ESTNE, qui miſſus petat aſtra pennis
Ales, ac Teiam ſuperet columbam?
Surgat, ac charæ ferat hæc Sororum
Dona MARIÆ.

Cæteras herbas minùs illa fidas
Senſit, herbarum generoſa nutrix:
Noſtra ſuccurret meliùs caducæ
Laurea vitæ.

——— *ex Æde Chriſti.*

EXI-

EXEQUIÆ DOLBENIANÆ:

SIVE

ECLOGA

IN

Obitum Reverendiſſimi in Chriſto Patris JOHANNIS DOLBEN, *Archiepiſc. Eboracenſis.*

Interlocutores CORYDON & THYRSIS.

DIC mihi, dic, Paſtor, (ſi jam communis utroſque
Cura tenet, communis amor) quo ſaucia luctu
Mens tibi languet, & unde dolor depaſcitur ora?
Talis enim, memini, tibi purpura læta ſolebat
Flagrantes veſtire genas; ſub vere rubenti
Qualis honor violas, & odoriferos Hyacinthos.
Jam color iſte abiit; ſeu fævæ Phyllidis iræ
Exedêre animum; trepidi prædator ovilis
Seu lupus invaſit teneros cum matribus agnos:
Fare, age, & ex illo ſic Pan, tibi Numen amicum,
Securas tueatur oves, ſic Phyllide Thyrſis
Conjuge ſit felix, felix ſimul illa marito.

THYR. Ah! pereant mea cura greges, oviumque magiſtrum
Mors eadem rapiat; poſtquam crudelior Orcus
Abſtulerit Gallum, atque imâ ſub nocte recondit.
Galle, decus nemorum, Borealis fama Brigantî;

Qui

Quà mediam, antè alias longe pulcherrima Nymphas
Ouſa ſecas urbem, lenique interluis alveo.
Sed fluvios jam luctus habet, tuque imbre tumenti
Volvis aquas, queruloque immugit murmure ripa:
Nempe tuus periit Gallus, cui fiſtula ventos
Et poterat mulcere, & veſtros fiſtere curſus.
Paſtorum immortalis honor, ſpes unica, & ingens
Præſidium Arcadiæ Gallus: te, Galle, ſub undis
Nereïdes deflent, te lugent paſcua circum
Faunique Dryadeſque. (*Cor.*) Ergo quando omnia damnum
Tangit idem, certè & Corydon ſua munera debet.
Te, natale ſolum, teſtor, placidæque fluenta
Auſonæ; propter veſtras ſi carmina ripas
Gallus adhuc juvenis luſiſſet, carmina valles
Motura & montes; quin jam per flumina ſævus
Rumor erat, Gallus CORITANÆ gaudia terræ
Occubuit: Tu ſemper eras cuſtodibus ipſis,
Tu pecudi ſecura ſalus; tu maxima, Galle,
Progenies Divûm: Vos mœſti dona quotannis
Libate Agricolæ (veſtris ab ovilibus urſos,
Immaneſque fugavit apros) ter ſpargite flores,
Ter luſtrate umbras, evincti tempora triſtis
Et Taxi ramis, & funereæ Cypariſſi.
THYR. Tu quoque pullatos inter, Rhedycina, triumphos
Tu ſocias miſce lacrymas, (vos parcite, Muſæ
Agreſtes) olim ſacros dilecta receſſus
Incoluit proles: tibi plenâ munera flammâ
Galle, dedit, geniumque indulſit amicus Apollo.
COR. Sed Muſis fortuna obſtat, brevis illa voluptas;
Tum retro fluere, adverſuſque evolvier ordo:
Nam Furiæ vetuêre moras, invaſit Erinnys
Campos, alternuſque animas demeſſuit enſis.

O, monſtrum Pani inviſum, atque obſcœnior urſâ,
Seditio peſtis! per rura hinc cominus atque hinc
Paſtoreſque ruunt, pecorumque ignobile vulgus.
THYR. Jam Pani devota fides te, Galle, laceſſit
Ad partes, laterique hæret delecta caterva,
Felix turma, duo Juvenes! Vos conſcia virtus
Incitat, & pietas fucatæ neſcia fraudis:
Vos Martis terrorem inter campique labores
Mens eadem tulit, & per caſus mille coëgit
Fata inimica ſequi; ſeu ſors incerta juberet
Aut unà ſuperare, aut pulchræ occumbere morti:
O, Patriæ ſpes magna! O, duri in turbine belli
Nuſquam victa cohors! O, turba haud millibus impar!
COR. Sed jam canus amor, vicibuſque infractus inquis,
Atque extremum emenſus iter, cadit; ultima nodum
Avulſit ſors Urnæ, & inexpugnabile bello
Diſrupit vinc'lum: ſeros deflendus in annos
Interiit * Celadon; quo non præſtantior alter,
Nec potior Judex (quoties Melibœus & Ægon
Certavêre unà, atque alternâ lite cadentem
Diviſêre diem) Divinæ oracula Legis,
Sacraſque ambages, & cæca ænigmata ſolvit.
Tu comes, heu nimiùm fidus; tu proxime cœlis
Succedis, Galle; En & languet † Myrtilus alter
Et ſenio & morbo, ſuper aſtra futurus amicis
Jam ſocius: dolet ille inimicæ tædia lucis
Ingrataſque moras. Quanquam, O, ſi numina flectant
Singultus, Rhedycina, tui; vos altera demum

---

* Vir Rev. Rich. Alleſtry, S. S. T. Profeſ. Regius, & Coll. Æton. Præfectus.

† Rev. in Chr. Pater Johan. Fell, Epiſcop. Oxon. & Ædis Chriſti Decanus.

Pignora,

Pignora, Dii, ſervate, & magnis parcite fata
Relliquiis. ———

THYR. At vos nec fatum, meritorum aut immemor ætas
Diſſimiles unquam arguerit; vos una tabella,
Vos tres una refert, famamque æterna loquetur
Pictura: En! ut vicinos ſub imagine vultus
Juſſit amor ſpirare, & eâdem vivere cerâ.
Fortunatæ animæ! primis adolevit ab annis
Jam matura fides, vobis & fœdera ſanxit
Multa dies, junctaſque exhauſta pericula dextras.

COR. Quali Marte pares in caſtra adverſa ruiſtis,
Atque avidi pugnæ, per miſtos pulvere campos,
Perque globos igneſque, & quà denſiſſimus urget
Impetus! At quàm pene die cecidiſtis in illo,
Cùm medios hoſtes inter temerarius ardor
Tercentum rapuit juvenes; tum milite fuſo
Enſeſque, inſidiaſque, alato & fulgure glandes
Fervere vidiſſes: nimiæ tum prodigus iræ
Sæviit hoſtis, & ibat ovans latè agmina circum,
Muſarum ſpolia indutus. Sed te tua, Galle,
Defendit virtus, medioque è turbine magnis
Eripit illæſum auſpiciis fortuna, futuri
Grande ævi pretium. (THYR.) Quin nunc age, cardine verſo
Diffugiunt, CORYDON, nubes, & flore ſuperbit
Rurſum lætus ager: ſupplex per rura colonus
Agnoſcit Pana, & latè nemus omne remugit
Io, Pana Deum! Tu jam ſine tempora circum
Felices errare hederas; tibi, Galle, ſereni
Indulgent cœli; teque ambit pacis amœnæ
Intemeratus honos, atque inviolabile pignus.

COR. O, noſtro dilecte Deo, & certiſſima, Galle,

Cœlorum cura! O, ſacros haud immemor unquam
Ritus aſſerere! O quoties ardente tumultu
Paſtorum, cùm nunc auderet cæca Juventus
Sceptra affectare, atque æternos Panis honores;
Tu fluctus ſedas, tibi fandi copia torrens
Incantat rabiem, & gliſcentes temperat iras.
Talis vel Zephyri, vel blandior aura Favonî,
Si fortè aſpiret, tum gaudet mutua ſilva
Inclinare apicem, & facili ſe flectere nutu.

THYR. Neglectas inter valles tibi, Galle, loquenti
Auſcultant pecudes, arrectiſque auribus hærent
Suſpenſæ; tu Paſtorumque oviumque ſequaces
Huc illuc mulces animos; tibi flumine lento
Hyblæis vox miſta favis, cùm roſcida mella
Sudant, & liquido diſtillant nectare quercus.

COR. Tale tuum carmen, qualis molli incubat herbæ
Aut roris gemma, aut acclivi in tramite murmur
Lene cadentis aquæ: Quin vos jam flete, capellæ,
Cuſtodeſque, agrique, & tu, reſonabilis Echo:
Jam vox iſta filet, vicibus quam ſæpe ſolebas
Alternis iterare, horæque involvit acerbæ
Longa quies Gallum, æterniſque immiſcuit umbris.

SAM. JONES,
THO. CHESTER, } *Armig. e Coll. Mert.*

Scholæ

Scholæ WESTMONASTERIENSIS DESCRIPTIO:

AD

Reverend. in Chr. Patrem & Dominum THOMAM *Epiſc.* ROFFENSEM, & *Eccleſ. Colleg. Weſtmonaſt. Decanum.*

ME Pia, me memorem charæ Nutricis Alumnum
Dilectos monuit Clio celebrare Penates,
Et dare manſuræ nota incunabula Famæ.
TU modò, Muſarum columen, quo pendet ab uno
Gloria, & auguſti ſpes inclinata Lycei,
Tu, qui tendentes duri ad faſtigia Pindi
Exemplo accendis juvenes, & lenta tuorum
Deſpicis ex alto, & longè veſtigia rides,
Summo ipſe innitens apici, impaviduſque ruinæ;
Tu modò, da faciles Muſas, & dirige curſum.
Fanum S. Petri Weſtmonaſt. Quà, juxta Thameſin, ſe tollit in æthera Moles,
Cæſaribus benè nota Domus; ſeu donet ovantes
Regali trabeâ, ſeu ſervet fida repoſtos,
Et Sceptri, & cinerum pariter certiſſima cuſtos;
(Hos ſera ingeminet luctus, hunc ſera triumphum)
Hîc ubi porrigitur longus ſub fornice trames,
Qui Templa à tergo claudens ſinuatur in Auſtrum;

Hîc, ubi porta patet, verſo obice, panditur ingens
Muſæum.] A lævâ limen; Pariiſque innixa columnis
Marmora, tornatæque trabes, laquearque ſuperbum;
Mœniaque artifici multum debentia dextræ.
TALEM ſi Siculo donâſſent æqua Tyranno,
Talem fata Scholam; patrias felicior exul
Deſpiceret ſedes, & parva palatia Regum.
MOX, ubi ſepoſitis aperitur janua valvis,
Ut primùm ante oculos fervet numeroſa juventus,
Turba ſilens; intenta operi, nunc dicta Magiſtri
Aure bibens pronâ, nunc alto in pectore condens;
Pythagoram remeâſſe negas, Samioque Nepotes?
SED quò ſe ducat meliori tramite Clio,
Et regat immenſum veſtigia certa per æquor;
Signat iter dubium, & luſtrat juſto ordine Claſſes.
1 *Claſſ.*] HIC aditu in primo, ſtudiis accenditur infans
Æmulus, amotamque ardet contingere metam;
Et, ſeptem à cunis qui vix numeravit ariſtas,
Romanas voces, primæ tentamina linguæ,
Dimidiat, doctæque edit præludia Suadæ.
SIC teneros olim eduxit Cornelia Gracchos
Infantes facunda parens; dum dicta circùm
Fama vocat Proceres, admiraturque Senatus
Præcocis eloquii vires, cunaſque diſertas.
2 *Claſſ.*] MOX, ut cùm pedibus ſe credit debilis infans,
Et ſummis inſtat plantis, bene ſedula Nutrix
Tarda Ariadnæo firmat veſtigia filo,
Ne quà tranſverſim titubet, pronúſve feratur:
Sic, ubi diſtantem certatim attingere Romam
Nituntur juvenes; ne fortè per avia tendant
Incerti, & duris illidant crura ſalebris,
Præbet Ariſtarchus normam; & data regula certum

Signat

Signat iter, ſolidatque gradus, & firmat euntes.
INTEREA aut facilis teritur poſt prandia Naſo,
Aut lepida Æſopi ridetur fabula, utrinque
Et lactare animum, & mores formare parata.
3 *Claſſ.*] Nec tantùm volvit veteres ignava Poëtas,
Concipit ipſa intus flammas, ſervetque juventus;
Agnoſcitque Deum; & facili ſua carmina venâ,
Qualiacunque poteſt, ſaltem mediocria, condit,
Quæ facilis laudet judex, non arguat æquus,
Queis meliora Maro, Bavius pejora ſonaret.
HIS ſenſim gradibus formavit Mantua Vatem,
His & Smyrna ſuum; paulatim ad culmina Pindi
Carpendum eſt iter, & ſua habet cunabula Pallas.
HIC interpoſitus gemini maris arbiter Iſthmus
Siſtitur, & diffuſa aditum Cortina recuſat;
O teſtis ſtudii Cortina, & doctior illâ,
Quam Delphi ſtupuêre olim, quæ conſcia Phœbi
Secretas voces, & certa oracula fudit!
4 *Claſſ.*] HACTENUS Auſoniâ pubes ſudavit arenâ,
Et tandem (heu longo) ſumma ad Capitolia curſu
Evehitur, mediâque locat vexilla Suburrâ:
Vicimus, ingeminant læti; jam Roma curules
Inſequitur devicta, alias captivus in oras
Naſo redit; noſterque Maro eſt: Te, Flacce, tenemus
Invicti Britones; voſque, ô par nobile Vatum,
Pellibus exiguis unoque volumine clauſi,
Vos nox & piceæ nequeunt celare tenebræ.
NON tamen hæc turmam Victoria reddit inertem,
Securamque ſuî; longè trans Itala regna
Urget iter, tentatque vias, & tendit Athenas.
5 *Claſſ.*] CECROPIÆ cedunt arces, ſua mœnia tradit
Victori Pallas; captâ dominatur in urbe

Exultans juvenis; teque, ô ſpes ultima Graiûm,
Teque, tuamque capit, longa ante decennia, Trojam.
PERGENDUM eſt Solymas; facilis Judæa repandit
Immenſas, quas ſervat, opes; nova munera donat
Intellectus Arabs, gazaſque repandit Eoas.
Et tandem quis limes erit? quò vivida pubes
Expatiatur ovans; fixæque ignara columnæ,
Thulenque extremam, & Calpen poſt terga reliquit?
6 *Claſſ.*] SISTIT pauliſper curſum, & (quia parta tueri
Eſt labor, & meliùs parent cultoribus arva,
Quæ longùm ſubigit vomer, quæ frangit aratrum)
Saxum volvit idem, & noto ſe verſat in orbe,
Et citiore iterum relegit veſtigia paſſu.
Interea flammâ propiore accendit Apollo
Felices puerorum animos, & percutit œſtro;
Jam furit, & ſubitum fundit turba enthea carmen,
Neglectum carmen; ſed quod culpare ſeverus
Vix poſſit Momus, vix carpere Zoïlus auſit.
SIC, ſive id caſu fiat, ſeu numine Phœbi,
Se certo pede verba ligant; ſic, arte remotâ,
Sponte ſuâ numeros voces formantur in aptos.
SIC, Epicure, tui coëunt vaga ſemina mundi;
Fit lapis ipſe ſibi faber, &, ſine legibus, ultro
Seſe informe Chaos pulchrum glomeravit in orbem.
7 *Claſſ.*] NUNC tandem ſummi Juvenis faſtigia montis
Occupat, & bifido figit ſub vertice ſedem;
Et meliùs recolit notas, & promovet artes.
Seu nunc indulget Phœbo; fruiturque Deorum
Colloquio Muſiſque ſuis; ſeu roſtra diſertus
Conſcendit, magnique quatit DEMOSTHENIS arma:
Seu vires Numerorum operoſo examine penſat,
Et Samii Siculique ſenis non negligit artes:

Curſuſque

Curſuſque æthereos notat, & metitur Olympum.
HIS demum exactis ſtudiis, hoc orbe laborum
Expleto, doctæ ſua reddere præmia pubi,
Et donare rude emeritos, & tradere palmam,
Aut fortè antiquo ſegnes includere ludo,
Hoc, Pater, omne Tuum eſt; illis dat Granta coronam;
His Rhedycina parat; quæ me manet utra? vel ulla?
Te penes augurium eſt; certam Tu dicere ſortem,
Phœbe, potes, qui fata regis, qui conjicis urnam.

——— *Scholæ Weſtmon. Regius Alum.*

CARMEN
IN
OBITUM
Auguſtiſſimæ & Deſideratiſſimæ
REGINÆ *MARIÆ*,
ANNO 1695.

POST fractas Gallorum iras, animumque ſubactum
Borbonii, avulſaſque hoſtili vertice Laurus;
Dum Rhodano NASSAVUS ovat, maneſque cruore
Auriacos placat, ruit & victricibus armis
Tela inter flammata, & miſta Tonitrua nimbis,

Tene rapit mediis mors immatura Triumphis?
O! Venus haud impar, neque Marte indigna Marito!
INCAUTO longùm dederat contagia vulgo
Dira lues; primo exiguis contenta trophæis,
Egit ubique humiles, nondum metuenda, triumphos.
At ſeſe attollens, regaliſque æmula formæ,
Privatum aſpernata hoſtem, tenuiſque ſepulchri
Gloriam inobſervatam, & vix memorabile funus,
CÆSAREOS petit illa lares, atque ora MARIÆ.
Omnibus hîc inſtructa dolis, junctiſque venenis,
Atque mali ſecura ſui, per mille nocendi
Artes progreditur, *repetito & vulnerat ictu.*
Interea Regina haurit ſpirabile virus,
Exitiumque ignara trahit, mortemque futuram.
Mox teneros artus depaſcitur ignea febris,
Formoſum pendet caput, & cruciatibus ægris
Torquetur cerebrum, lumbique dolore graveſcunt.
Purpureis maculata notis, & lurida turgent
Pectora, flagrantique rubent incendia pelle.
Languida non ſolitas jaculantur lumina flammas;
Non fronti divinus honos; non gratia vultûs;
Nota nec ulla manent veteris veſtigia formæ.
Quàm tibi diſſimilis! quantùm O! mutaris ab illâ,
Quæ, modò per populum incedens Regina, coruſcis
Mille neces ſparſiſti oculis, & lucida tela!
At Tibi nunc, formæque æterna obducitur umbra.
NEC via mortis erat ſimplex; ſed fœdere juncto
Miſta venena fluunt, regnantque impune per artus
Pæoniam indignata artem, ſuccoſque potentes.
Quinetiam ſanies ſqualenti fluctuat atra
Sanguine, corruptiſque exæſtuat oſſibus ignis.
Per cutis excoquitur ſpiracula tabidus humor,

Nativoque

Nativoque tegit cruſtatum tubere corpus,
Perpetuo & nitidas Veneres velamine condit.
HAUD ſecus ac quæ ſtella diu volventibus annis
Immenſum in toto diffuderat æthere lumen,
Gloria cœlorum, mundo nec inutile fidus,
Cui longo innatas expreſſit tempore ſordes
Multa dies, variuſque ordo mutabilis ævi,
Ingenitâ nocte, & ſpiſſo ſe obnubit amictu,
Concretaſque ſubit maculas, radioſque diemque
Subducens, tacitas premit intra viſcera flammas.
AT Tibi nunc vanos fruſtra molimur honores,
Exequiaſque Tuas, & non violabile buſtum
Sacramus Muſis, & inani munere versûs.
Et tu jam poſthac miſerum plorabere funus,
Gens quacunque ſuos egit Romana triumphos;
Te flebit vel triſtis Arabs, & inhoſpita Turcæ
Pectora, inaſſuetiſque ferox nunc Perſa dolebit
Luctibus, & propriis diſcent miteſcere linguis,
Dum procul emittit doctas Rhedycina querelas,
Lugens mille ſonis, & multiplici ingemit ore.
O! nunquam ploranda ſatis venerabilis Urna!
Vel Patri deflenda Anima! & quam Regius exul
Deploret, lacrymiſque ſenilia proluat ora,
Dum Natam reputat, licèt illi mente reſurgat
Sceptri avulſus honos, raptique Injuria Regni.
QUIN Te penè Tuæ junxit, GULIELME, MARIÆ,
Et cineres amborum unâ commiſcuit urnâ
Execranda dies, & ineluctabilis hora.
Quos etenim impatiens volviſti corde dolores!
Quoſve dedit gemitus non enarrabile pectus!
Cùm vitam exhalantem, & fati angoribus actam
Extremò amplexus, moriturus & ipſe, MARIAM,

Triſtis

Triſtis inhæſiſti dilecto oneri, oſcula libans
Suprema, & captâſti animam ſuper ora vagantem:
Ut te præcipitem luctu pius abſtulit error!
Ut furiis agitavit Amor! cui mille ruinæ,
Stridenteſque globi, & diſploſa tonitrua flammis
Non poterant terrere animum, Tua fata, MARIA,
Incutiunt propiora, magiſque pericula tangunt.
VERUM o! jamdudum ſatis actum eſt funere tanto;
Nec Superi noſtris majora piacula poſcunt
Criminibus, ſi quid Pietas Divina labores
Reſpicit Angliacos, Tu cœlo inſerta MARIA
CÆSARIS eſto Tui memor, atque intende Britannis
Pervigiles curas, queis acti Marte ſecundo,
Auſpiciis moveant ſemper felicibus arma,
Et noſtris lætare, ut quondam aſſueta, Triumphis.
AT Tu lapſuri, Princeps, ſpes unica regni,
Tu, NASSAVE, Tuâ quamvis viduate MARIA,
Abſtineas fletu, & vanis nunc parce querelis.
En! quæ turba Tui repetit connubia ſupplex,
CÆSAREIque tori Geniales ambit honores!
Quin age, ſume animos, & luctum diſcute fronti,
Fata Tuos vel adhuc maneant meliora Britannos.
Ecce! occulta tumet lumbis ventura propago,
Et nondum nati Herces, & Regius Ordo!
Quodque MARIA negat, ſceptro dabit altera Conjux.
Ut Tibi cum totâ ſe tradit Iberia Gente
Fœmineâ, Auſtriacæque optant Diadema Britannum!
Ipſaque nunc ſperat gratum ſibi Gallia lectum,
Formoſaſque oſtentat opes, & præmia pacis.
SIDEREO ſic cùm ſolio Saturnia ceſſit,
Dignata & terras, propriumque inviſere Templum eſt,
Dilectamque Samon; ſtat circùm turba Dearum

Optato

Optato ſtipata Jovi, dum quæque vocari
Juno ambit, fierique cupit Regina Tonantis:
Certant Divæ mille, atque immortalia poſcunt
Gaudia, & Æterni ſponſalia munera Regis.

HENR. SACHEVERELL, *A. M. e Coll. Magd.*

MACHINÆ GESTICULANTES:

ANGLICE,

A PUPPET-SHOW.

ADMIRANDA cano levium ſpectacula rerum,
Exiguam gentem, & vacuum ſine mente popellum;
Quem, non ſurreptis cœli de fornice flammis,
Innocuâ melior fabricaverat arte Prometheus.
COMPITA quà riſu fervent, glomeratque tumultum
Hiſtrio, delectatque inhiantem ſcommate turbam;
Quotquot lætitiæ ſtudio aut novitate tenentur,
Undique congreſſi permiſſa ſedilia complent.
Nec confuſus honos; nummo ſubſellia cedunt
Diverſo, & varii ad pretium ſtat copia ſcamni.
Tandem ubi ſubtrahitur velamen, lumina paſſim
Anguſtos penetrant aditus, quà plurima viſum
Fila ſecant, ne, cùm vacuo datur ore feneſtra,
Pervia fraus pateat: mox ſtridula turba penates
Ingreditur pictos, & mœnia ſquallida fuco.
Hîc humiles inter ſcenas, anguſtaque clauſtra,

Quicquid

Quicquid agunt homines, Concurſus, Bella, Triumphos,
Ludit in exiguo plebecula parva Theatro.
SED præter reliquos incedit HOMUNCIO raucâ
Voce ſtrepens; major ſubnectit fibula veſtem,
Et referunt vivos errantia lumina motus:
In ventrem tumet immodicum; ponè eminet ingens
A tergo gibbus; Pygmæum territat agmen
Major, & immanem miratur turba Gigantem.
Hic magnâ fretus mole, imparibuſque lacertis
Confiſus, gracili jactat convitia vulgo,
Et crebro ſolvit, lepidum caput, ora cachinno.
Quanquam res agitur ſolenni feria pompâ,
Spernit ſollicitum intractabilis ille tumultum,
Et riſu importunus adeſt, atque omnia turbat.
Nec rarò invadit molles; pictamque protervo
Ore petit Nympham, invitoque dat oſcula ligno.
SED comitum vulgus diverſis membra fatigant
Ludis, & vario laſcivit mobile ſaltu.
SÆPE etiam gemmis rutila, & ſpectabilis auro,
Lignea gens prodit, nitidiſque ſuperbit in oſtris.
Nam, quoties feſtam celebrat ſub imagine lucem,
Ordine compoſito Nympharum incedit honeſtum
Agmen, & exigui Proceres, parvique Quirites.
Pygmæos credas poſitis miteſcere bellis,
Jamque, infenſa Gruum temnentes prælia, tutos
Indulgere jocis, teneriſque vacare choreis.
TALES, cùm medio labuntur ſidera cœlo,
Parvi ſubſiliunt Lemures, populuſque puſillus
Feſtivos, rediens ſua per veſtigia, gyros
Ducit, & anguſtum crebro pede pulſitat orbem.
Manè patent greſſus; hinc ſuccos terra feraces
Concipit, in multam pubentia gramina ſurgunt

Luxuriem,

Luxuriem, teneriſque vireſcit circulus herbis.
AT non tranquillas nulla abdunt nubila luces,
Sæpe gravi ſurgunt bella, horrida bella, tumultu,
Arma cient truculenta cohors, placidamque quietem
Dirumpunt pugnæ; uſque adeò inſincera voluptas
Omnibus, & miſtæ caſtigant gaudia curæ.
Jam gladii, tubulique ingeſto ſulphure fœti,
Protenſæque haſtæ, fulgentiaque arma, minæque
Telorum ingentes ſubeunt: Dant clauſtra fragorem
Horrendum, ruptæ ſtridente bitumine chartæ
Confuſos reddunt crepitus, & ſibila miſcent.
Sternitur omne ſolum pereuntibus; undique cæſæ
Apparent turmæ, civilis crimina belli.
SED poſtquam inſanus pugnæ deferbuit æſtus,
Exuerintque truces animos, jam Marte fugato,
Diverſas repetunt artes, curaſque priores.
Nec rarò priſci Heroes, quos Pagina ſacra
Suggerit, atque olim peperit felicior ætas,
Hîc parvâ redeunt ſpecie. Cano ordine cernas
Antiquos prodire, agmen venerabile, Patres.
Rugis ſulcantur vultus, prolixaque barbæ
Canities mento pendet: ſic tarda ſenectus
TITHONUM minuit, cùm moles tota Cicadam
Induit, in gracilem ſenſim collecta figuram.
NUNC tamen unde genus ducat, quæ dextra latentes
Suppeditet vires, quem poſcat turba moventem,
Expediam. Truncos opifex & inutile lignum
Cogit in humanas ſpecies, & robore natam
Progeniem telo efformat, nexuque tenaci
Crura ligat pedibus, humeriſque accommodat armos,
Et membris membra aptat, & artubus inſuit artus.
Tunc habiles addit trochleas, quibus arte puſillum

Verſat

Verſat onus, molique manu famulatus inerti
Sufficit occultos motus, vocemque miniſtrat.
His ſtructa auxiliis jam machina tota peritos
Oſtendit ſulcos, duri & veſtigia ferri:
Hinc ſalit, atque agili ſe ſublevat incita motu,
Voceſque emittit tenues, & non ſua verba.

JO. ADDISON, *e Coll. Magd. A. B.*

NEPTUNI VINDICTA:

SIVE

* Inedia Undecim Dierum.

VICERAT Heſperios fluctus, & præpete curſu
Oceani fines audax ſulcaverat Alnus:
Nec tulerat Phœbo viſas, ipſaſque negatas
Eſſe ſibi terras hominum labor. Ergo parantur
Et Soli comites: Hi, quicquid fabula Vatum
Finxerat, hoc cernunt; dum non mendacia poſſunt
Verorum ſuperare fidem: Naturaque doctis
Luſibus exæquat proprias erroribus artes.
Quodcunque arcanum gremio ſtudioſa recondit
Diva parens rerum, converſa in mille figuras,
Ignotas pecorum formas ſpecieſque ferarum,
Incultos terræ tractus, & monſtra virorum
Conſpiciunt, &, dum ſpectant, nova monſtra putantur:

* Vide N. Tulpii Obſervat. Medic. Lib. I. Cap. 43.

Per

Per mare diſcurrunt & terræ penſile pondus,
Adverſoque vident ſurgentia ſidera Cœlo:
Hiſpanaſque ultra metas extenditur orbis,
Nec claudit noſtri BÆTIS confinia Mundi.
JAMQUE adeò præceps nobis audacia crevit,
Ut ſciſſo pateat contritus tramite Pontus;
Nec meliùs veteres tranſibant Flumina, fregit
Hel'eſpontiacus meliùs vel navita fluctus,
Odryſiam quoties mutaret Seſton Abydo;
Quàm terræ nobis fines, & diſſita longis
Littora Neptuni ſpatiis, fluctuſque domantur
Puppibus; & fiunt ipſi ludibria venti.
Non tulit hoc ultrà pelagi Deus. Ergóne veſtris
Nullus erit finis cœptis, ait? Impetus iſte
Quò ruet? haud impune mihi hæc injurius Orbis
Inferet; hæc campis fleterat modò ſilva Britannis,
Quam fera in Occiduo nunc excipit India portu:
Jamque ſuo major fato & ſpumantibus undis
Claſſis adeſt, fluctus tempeſtatumque labores
Irridens; licèt optatâ potiantur arenâ,
Non impune ferent. Fremitu vix talia fatus,
Conſpicit audaces ponti per cærula nautas
Exiguâ ferri cymbâ, ſociiſque relictis
Et portu, Oceano tenui inſultare carinâ
Curarum vacuos, ut qui modò ſumma legebant
Littora, confiſique ſuis ſucceſſibus omnes
Dedidicêre metus: non illic fercula menſis
Portantur, pleniſque cadis Vindemia fervet.
Septem turba fuit, turba heu! non digna Deorum
Vindictâ, aut tantæ quæ ſeſe opponeret iræ,
Non remis agitare ſalum, dare carbaſa ventis,
Luctari & contra ſurgentes ſcandere fluctus.

Nec

Nec ſatis hoc lenire Deos; injuria menti
Fixa ſedet, vindexque animis ardeſcit Enyo.
NEC mora: crudelis cæcâ ſeſe Æolus arce
Exerit, emittitque ſuos in prælia ventos;
Eripiturque à ſole dies, obductaque velo
Cœlorum facies: rapidis nox fluctibus aſtra
Miſcuit, & ſolæ veniunt à fulgure flammæ.
Nec perdunt rabiem flatus, non Africus Euro,
Non iſtic Aquilone Notus luctatur; in unam
Tempeſtas proram incumbit, facilemque carinam
Abripuit, portuſque oculis & terra receſſit.
ET jam quaſſa altum tenuit ratis, undique cœlum,
Undique pontus adeſt; metuit dubiuſque requirit
Navita, propulerit recto num carbaſa curſu
Ventus, an obliquo diſtorſit tramite vela.
Incumbit gravior clades, cœloque furenti
Majorem extimuêre famem; malè cæca futuri
Turba cibum, cœnæ qui vix ſuffecerit uni,
Diducunt, timidique uno conſumere luxu,
Diviſêre dapes, epulaſque in fruſta reſolvunt.
JAMQUE quater reduci luſtrârat lumine Phœbus
Adverſas noſtris terras, nobiſque reluxit
Iratus toties, noſtrumque reviſerat orbem.
Nondum vera fames; nec in hos duraverat una
Cœna dies tantùm, miſeris etiam altera menſæ
Pars levior ſupereſt: quærunt ſtomachumque ſitimque
Fallere, & arenti cyathos hic rejicit ore,
Ille reluctanti ambeſas de fauce revellit
Sæpe dapes, duruſque animi jejunia perfert,
Dum vitare cupit, ſerò malè providus ipſum,
Quod metuit, patitur. Felix magis ipſe videtur
Tantalus; huic ſemper menſæ fluviuſque parantur.

AT

AT poſtquam variis Titan per cærula flammis
Luſerat, & rutilos rediens vibraverat ignes:
Projiciunt ſuper alta oculos, fluctuſque pererrant
Lumine; at ingratos tantùm dant cernere fluctus
Crudeles flammæ, non hâc ſpumantia cautes
Æquora dilacerant, non illac tubere terra
Propendet, ſolæ magnâ ſe mole procellæ
Devolvunt, tractuque acies abrumpitur undæ.
NEC ſatis eſt timuiſſe famem; fame ſævior ipſâ
Tam tenuis cibus; at tandem frugalibus iſtis
Relliquiæ deerant menſis, victuſque caniſtris
Deficit, & luxûs ſubeunt jejunia nomen.
ET nunc triſte malum exiles graſſatur in artus,
Undique nativus membra exſiccaverat ignis;
Et ſua præſtabat propriis alimenta ruinis.
Jam tandem decimus Sol mœſto illuxerat igne,
Ex quo defecêre epulæ, exanguique coronâ
Pallida turba ſedet, ſqualentique horrida vultu,
Membra premit peſtis; torpent cava lumina, fauces
Arentes, torvi vultus, cutis aſpera, venter
Flaccidus, & magnis prodibant artubus oſſa.
Non alia exangues faciunt ſpectacula cives
Cocyti, quoties taciti Regnator Averni
Concilium deforme vocat: magis horrida nuſquam
Artibus aut medicis corraſa cadavera pendent,
Attonitas quoties terrent nuda oſſa puellas.
QUÆ miſeros ſufferre mala, & quæ fata coëgit
Vitæ dirus amor? cur non tam flebile pondus
Innectunt nodis, eliſaque guttura frangunt?
At ſi è vorticibus ponti propiora videntur,
Hinc ſint fata, ſitiſque undis extinguite flammas.
Sed quoniam mortes iſtæ molliſque leviſque

Fœmineique

Fœmineique animi, date apertis faucibus enſes,
Atque uno vitam & luctus diſcindite ferro.
Quò tranſcribuntur miſeri? quò ceſſerat iſta
Parcarum pietas? Morbis dum ſtragula laſſi
Diſcutiunt alii, & febrim patiuntur & ignes,
Mors ipſis tandem æqua venit, non ſubvenit unda
Ulla ſiti, miſeris tabeſcunt membra, nec iſtis
Pœna minor, non poſſe mori, ſint lenia quanquam
Flumina venarum, & lento ſe circulet amne
Sanguis, & exili ſignet vitæ ultima motu.
JAMQUE importunus languentia corpora vexat
Extimulatque dolor; menſiſque epuliſque relictis
Nunc inhiant jugulis, ſociiſque in vultibus hærent.
Nec dolor elinguis fuerat, quippe auſus & iſtud
E miſeris aliquis facinus, vehementior ignis
Cui ſpirat venis & deprædaverat artus,
Quò Comites, (inquit,) verſatis lumina? non eſt
Muta fames, quamvis ſonitus atque ora premantur:
Inque vicem voſmet votis oculiſque voratis.
Sed nec inhumani lances, & menſa ſuperbi
Noſtra Thyeſtis erit, fiunt hæc crimina plenis
Et ſaturis; at nos ſic deliquiſſe neceſſe eſt,
Peccamus fato, Parciſque jubentibus ipſis.
Sed quid veſtra ego vota morer? nec dicere plura
Mors patitur propior, nulloque humore rigatus
Aëris alternos anguſtat pulmo meatus.
Ergo agite, iratis cadat unus victima Divis,
Communem redimens privato ſanguine vitam.
Felicemque illum, quem deſtinat alea fato,
Et tandem dat poſſe mori! ter terque beatum,
Qui clade accreſcit, per ſenaque corpora fuſus
Multiplici vivens animâ tumuloque ſuperſtes!

DIXE-

DIXERAT: extemplo ſortes mittuntur in Urnam,
Conſiliique duci fatalis calculus exit:
Et ſontem pœnæ conſtantia fata repoſcunt.
Sic olim Siculus letho tormenta tyrannus
Imbuit artificis, gemituſque Perillus in ære
Edidit ipſe ſuo, taurique emugiit ore.
ILLE tamen lætus fatis hæc ore profatur:
Vicerunt jam vota metum, veſtræque ſalutis
Victima ſuccumbo; felix, defunctus amicis
Qui poſſim prodeſſe meis: nec Parca timetur;
Accipite hanc animam, & noſtrâ ex hoc vivite morte.
Vix hæc, nec potuit jam plura; ecce impius alter
Involat in jugulum, dat vulnera, vimque volenti
Ingerit, at nondum lethalem evulſerat enſem,
Procumbunt in prædam omnes, olimque voratæ
Luminibus toties veniunt in viſcera menſæ.
Nec coëunt pudor atque fames, dum ſanguine fumant
Semineces artus, & adhuc luctantia membra
Præda avidis fiunt; ſaturi jam morte, ſodali
Dant vivos tumulos, ſimilique in viſcere condunt.
HAS epulas rabiemque virûm ut Neptunus ab alto
Conſpexit, torvum ridens hæc ore profatur:
Sat pœnis iræque datum, ſat cognitus orbi
Neptuni furor eſt. Aras ventura nepotum
Turba illæſa meas timeat, tremefactaque tantis
Exemplis parvæ peragret freta pervia cymbæ.
Jam tandem in pœnis facilis mitiſque videtur
Jupiter; humanas mutare Lycaona formas
Juſſerat, & villis hirtos obduxerat artus.
Ingenioſa mihi magis eſt vindicta, ferarum
Humanâ per me latitant ſub imagine formæ,
Inque hominem migrat vel bellua. Siqua leænæ,

Siqua

Siqua lupi feritas, vel ſiqua eſt tigridis ira,
Unà jam coit hæc, & eodem in corpore regnat.
VIX ita; proſcindens cùm cærula puppis ab alto
Conſpicitur, Batavûmque gerens in culmine ſigna
Applicuit propiùs, tantæ miſerataque cladis
Speratis dederat pelagi ludibria terris.

PHIL. FELL, *Omn. Anim. Soc.*

FRAUS NUMMI ANGLICANI:

ANNO 1696.

EST imâ ſub mole domûs Spelunca, frequenti
Uda cado, cui frigus iniquos utile ſoles
Propellit, Bacchumque inimico protegit æſtu.
Hîc, quem ſors dura, aut nummorum fœda libido,
Aut luxus finxêre fabrum (nam credere cœlo
Non audet facinus) Vulcania ſubdolus arma
Exercet, cæciſque agitat ſub ſedibus artes.
Hîc focus, & flammæ; hîc candenti lympha metallo
Stridet, & exiguis animantur follibus ignes.
Nec minùs in toto procumbit plurimus antro
Malleus, & nitidæ ſplendent in parjete limæ.
Protinus orbiculum, qui cunctos maximus inter
EDVARDI facie, magnæve ſuperbit ELISÆ,
Occupat, extremamque tenaci forfice maſſam
Furatur, tenuem mordens à margine prædam.
Illa eadem, infeſtam quæ noſtro ex æquore claſſem
Depulit, & Britonum radentes littus Iberos

Bellatrix,

Bellatrix, parvis ſinit ipſa in finibus hoſtem
Sævire, & proprium populare licentiùs orbem.
EXTEMPLO alternans alienâ merce reſectos
Sacrilegus mutat Nummos, ſpargitque per urbem
Laminulas curtas, defraudatumque metallum.
Dein antrum petit, infunditque fluentia falſo
Æra typo, inſolito quæ partu nata repente
Emergunt Reges; alienum EDVARDUS honorem
Induitur, decoratque orbes inglorius æreos.
Dedecus Angliaco repetitum mœret ab hoſte
Infelix CAROLUS, cui truncatum Anglia quondam
Abſtulerat caput, illa iterans opprobria ſanctum
Irridet ſimulachrum, & vertice ludit aheno.
At ne detegeret fraudes erepta figuræ
Canities, tritoque ſeni renovata juventus;
Pernicioſa manus venerandi pondera vultûs
Effingit, frontiſque imitatur dædala rugas;
Atteritur lævis facies, extremaque barba
Pendet acutùm extans, denormat plurimus oram
Angulus, exeſæ fluxêre a margine quædam
Literulæ, & crines delevit ficta ſenectus.
Protinus a nummis ſurreptas admovet igni
Particulas argenti, & flammâ ardente ſolutas
In liquidam cogit maſſam; rivoque fluenti
Impoſitam tingit ſobolem, quæ protinus æris
Exuit, argentique trahit ditata colorem.
Illa per eluſos populos impune vagatur,
Nec metuit, ne turba dolum exploraret, & ipſam
Argueret fraudis, facies dum ſplendida Regem
Dat notum, & ſurgit radianti in vertice laurus.
JAMQUE attrita diu deraſaque cruſtula fraudes
Detegit, & fulvum prodit malè lubrica crimen:

Inſidiæ

Insidiæ extemplo patuêre, & ahenea pestis
Serpit in immensum crescens; miratur avarus
Flavere argentum, medioque excerpit acervo
Corruptum: ast uno ablato non deficit alter
Æreus, & simili pallent flavedine lamnæ.
Inficitur tandem, & fato succumbit eidem
Tota strues: Dominus simul ac ignobile pondus
Aspicit; heu! video tandem, sunt, credo, fugaces
Divitiæ; didicit mortalia fallere vota,
Et frustra humanas lactare pecunia mentes.
Hoc nuper (dubiæ ni lux nocturna fefellit
Candelæ) argentum cepi, nunc vertitur æris
Deformem in cumulum, & vili splendore refulget.
Ceu quondam sub nocte (foco si credere dignum est
Fœmineo) exiles per opaca silentia formæ
Discurrunt, tranantque jocosis lusibus umbras;
Hæ loculum agricolæ stertentis divite complent
Somnio, & objiciunt falsi simulachra metalli.
Ille rapit trepidans fallacem mane recenti
Thesaurum, ast avidam taurinæ frustula pellis
Eludunt dextram; mirantem evanida turba
Linquit, & exiguum tollit lasciva cachinnum.

HAUD nunc vexantur merces, neque multa coarctat
Turba forum; in vicis jam murmure rara minori
Plebs fremit, & passim per compita tardior errat.
Jam malè proponens venum frumenta colonus
Cessat, & incumbens pleno terit otia sacco.
Visum è longinquo debentem creditor horrens
Vitat, & in densum cautus se proripit agmen.
Scilicet haud (quamvis cumulanda pecunia mentem
Sollicitat) falsis curat ditescere nummis:

Haud

Haud fœnus quærit tam vile, nec anxius optat,
Ut ſolo gravis ære domum ſua dextra rediret.

JOSEPHUS TRAPP, *e Coll. Wadh.*

In OBITUM
REGINÆ *MARIÆ.*

QUID Divæ buſtum pompâ decoramus inani?
Quid vanos gemitus, & lamentabile carmen
Fundimus, exigua ingentis ſolatia damni?
Quin potiùs ſtemus fixa acri turba dolore
Circum udos fletu cineres, urnamque ſilentem
MARIÆ, tacitoque imitemur marmora luctu;
Luctu, quo fractus, vicinâ morte rigeſcis,
Naſſaide, Sponſæque cupis comes ire ſub umbras.
Heu tibi nunc primùm torpent formidine membra,
Nunc altè infixum ſtridet ſub pectore vulnus,
Sævit atrox cura, atque ingens dolor oſſibus ardet.
Fruſtra Celtarum Te ſanguine Moſa rubeſcens
Vidit pulvereâ bellorum in nube tonantem,
Si partas Libitina jubet deponere fronte
Lauros, & mœſtâ crines fœdare cupreſſo;
Si Martis duri merces, & dulce levamen
MARIA, heu! fruſtra optatis frigeſcit in ulnis;
Si moriens reducem media inter gaudia linquat,
Elyſioſque petat manes, heu! non Tua conjux.
Illam non iterum attonita emirabitur Aula,
Inſolitum nitidis vibrantem fulgur ocellis;

Dira lues, nunquam ſat deteſtanda Britannis,
Diſtinxit pulchros maculis nigrantibus artus;
Idaliaſque faces, arcuſque, & lucida tela
Nox atra eripuit lethique inamabilis horror.
O ſi longa dies, ſi ſtamina juſta dediſſent
MARIÆ ſobolem enixæ, ſtabilire penates
NASSAIDUM, lapſæque domûs fulcire ruinam!
O ſi Cæſareâ luſiſſet parvulus Aulâ
AURIACUS, Matrem qui redderet ore venuſto,
Et virtute Patrem; tum non ſolaminis expers
Æternùm unius defleres, Anglia, funus:
Sed vetuit fatum, ſed inexorabile penſum
Spem vanam eluſit, florenteſque abſtulit annos.
AT non cum gemitu, lugubri aut murmure, dulcem
Ægrè Diva animam exhalat; ceu pura columba,
Quam jaculum fixit ſtridens, aut miſſile plumbum,
Cervicem inclinat niveam, atque oblita querelæ
Labitur exanimis, vitamque relinquit in aſtris.
Auguſtæ non pompa domûs, non purpura luctum
Ponenda accendit; rutilæ non tempora circum
Gemmæ, non ſceptrum movet, aut diadema caducum:
Hæc invita tulit, ſed non invita reliquit.
VIDIMUS orantem ante aras, oculoſque decoros
Dejectam, atque pio fletu nitida ora rigantem,
Vidimus auxilio miſeros opibuſque juvantem,
Vidimus. —— At Divæ virtutes obruit urnâ
Dura nimis lex fati, & non revocabilis ordo.
QUIS nunc, dum Auriacus meditatur vinc'la Garumnæ,
Et, Lodoice, tremis, Britonum Mavortia corda
Imperio placido & blando moderamine flectet?
Quæ Venus ex acie redeuntem & pulvere tectum
Sanguineo excipiet Martem, amplexuque fovebit

Molli,

Molli, ſingultans; lachrymis ſordeſque decoras
Abluet, & medicis ſiccabit vulnera lymphis,
Dictamnum ſpargens, & odoriferam Panaceam?
Tu ſola AURIACI poteras lenire labores,
MARIA, ille Tuis precibus devictus ad hoſtes
Cautior acceſſit; nunc mille pericula quæret,
Anxius & Senonum in medios ruet obvius enſes.
QUID referam everſas turbato in gurgite claſſes
Borbonias? Et cæde ardent, lateque relucent
Fulgure ſulphureo, & tonitru maria alta tremiſcunt!
Seu MARIA colos & pendula ſtamina ducit,
Seu texit pictas auri ſubtemine veſtes,
Illi Neptunus domitor maris omnia jura
Et pelagi imperium cedit, ſævumque tridentem.
Atque utinam ſupereſſet adhuc, nec flebilis umbra
Lætitiam inſolitam Celtis animoſque dediſſet;
At licèt AURIACUS gemitu æger languet inerti,
Mox lapſæ ſurgent vires, animoſaque ſurget
In Gallos rabies, & vitæ prodiga virtus.
En! iterum cerno ſpumantem ſanguine Moſam,
En acuit dolor iram! En! implacabilis ardet
NASSAIDES, metit enſe acies, latumque per agmen
Limitem agens, toto graſſatur in æquore Victor.
SIC leo venantûm percuſſus vulnere ſævit
Acriùs, horrendùm frendens, ſetaſque comantes
Erigit; accenſo major violentia gliſcit:
Mox ruit in turmas, & toto fervidus arvo
Nunc hos, nunc illos diſcerpit; viſcera paſſim
Effunduntur humi divulſa, & lubrica tellus
Cæde rubet morientûm, & rorat ſanguine campus.

G. ADAMS, *Ædis Chr. Alumnus.*

NON DANTUR IDEÆ INNATÆ.

HÆC unde rerum tanta ſcientia,
Quâ Mens ſuperbit? Scilicet Artifex
Impreſſit æternus tenaci à
Principio ſua ſigna ceræ?
Hinc illa dives, quam tibi vendicas
Intus, ſupellex? hinc bona copia?
Hoc fonte derivata, felix
Jugis aquæ tibi vena manat?
Erras: nec arvum, nî labor improbus
Et vomer adſit, meſſibus horrea
Implebit optantis coloni
Triticeis Cereriſque dono:
Neglecta ſqualet, nec ſterilis minùs
Humana Mens eſt; ſemina ni ſua
Jactaret Uſus, ni labore
Fingeret aſſiduoque cultu.
Potandi aventi porrigit ubera
Fœcunda nutrix, Experientia;
Hinc robur, hinc labente ſurgit
Tempore conſpicienda moles.
Tabella, nullis tincta coloribus,
Qualis videtur: nil animum movet,
Utcunque formas ſuſtinere
Mille potens, Opifex priuſquam
Miſcetque ſuccos, & calamum regit:
Tum demum amœnus verticis aſperi

Proſpectus,

Proſpectus, apparetque ſuprà
Capripedum Dryadumque luſus.
Aut quale fuſcæ Marmor in Africæ,
Solo reciſum, ſumere idoneum
Quoſcunque vultus, ſeu Diana,
Seu Cytheræa magis placebit:
Informis, ater, ſub pedibus jacet,
Donec politus Phidiacâ manu,
Formoſa tandem deſtinatæ
Induitur Lapis ora Divæ.
Jam jamque ponit duritiem placens,
Et nunc ocelli, & gratia mollium
Spirat genarum, nunc labella &
Per niveum coma ſparſa collum.

Cantabr. in Comitiis poſterioribus, 1707.

Memoriæ Beatiſſimi Patris

JOH. FELL,

Olim Epiſc. Oxon. & Ædis Chriſti Decani.

Cùm ipſi MONUMENTUM *poneretur.*

O VIVA ſolers marmora ſculptili
Dolare ferro, qui lapidem ſacrum
FELLO reponis, ſæpe doctis,
Sæpe piis oculis legendum;
Eja, arte diam canitiem ſenis,
Vultumque fingas ſimpliciter bonum,

Suoque reddas os verendum
Quale precans tulit ipſe Templo.
Hîc vernet inter tela rigentia
Flos non caducus, ſanctior implicet
Verbena lauros, & remiſtæ
Cum galeis lituiſque mitræ.
Huc forſan olim progeniem rudem
Muſis daturus deveniet ſenex,
Quem prælium NASEBIANUM
Incolumem Laribus remiſit:
Ni fallor, hæc quam conſpicis, inquiet,
Imago FELLÎ eſt, En! venerabilem
Agnoſco vultum, En! ora mirè
Dædaleâ ſimulata dextrâ.
Hic ſæpe mecum (nam memini) breves
Fallebat horas; nunc iterum alloquor,
Nunc prendo dextram, nunc amicas
Accipio referoque voces.
Mecum hic tremendam militiam tulit,
Dum ſævienti pervigil horruit
Totus pruinâ, dum gelatis
Dirigui pariter ſub armis.
Sed jam quieſcit ſurdus, & immemor
Commilitonis, non iterum mihi
Spectandus; heu! fas ſit rigare
Imbre pio cineres Amici.
Hæc mœſtus inquit. Cætera lachrymæ
Reddunt loquaces. O tumuli ſitis
Avara, & immatura FELLI
Mors viridem reſecans ſenectam!
Vix flore pulchros veſtierat novo
Lanugo vultus, cùm decus extulit

Sublimem,

Sublimem, & intonſo dederunt
Pierides ſua regna Phœbo.
At quanta adulto gloria contigit?
Quot ſerta canam cæſariem ſeni
Cinxêre? quantum innixa FELLÎ
Imperio Rhedycina crevit?
Ad hunc, cruenti quos ſtudium aſperum
Belli manebat, vel labor imperî,
Fluxêre, & auratæ per Ædes
Aonias micuêre bullæ.
Hinc jam vigeſcit Concilium Patrum,
Multoque fœtum germine nobili
Et decolorem cæde Tibrim,
Et luteum refugit Lemanum.
Regnante FELLO floruit artibus
Pubes aviti nominis æmula
ORMONDUS, & qui Heroa finxit
ALDRICIUS propiore curâ.
Senſêre Celtæ, magna quid indoles
Nutrita poſſet Socratico ſinu,
Ingens quid ORMONDI juventus,
Atque animi generoſus ardor.
En! cerno quanto vividus impetu
Marcellus alter proruat agmina!
Quantus reluctantes catervas
Fulmineo metat acer enſe!
Sic Moſa, inundans illuvie vagâ,
Latè rapaci volvitur alveo,
Gregeſque, ſilvaſque, & virentes
Sternit agros, ſata læta ſternit.
Doctrina tantum pectora roborat,
Et fida vires promovet inſitas

Cultura. FELLÎ O priſca virtus!
O animæ ſine labe candor!
Cur vita nequicquam pia labitur,
Nec te caducum virgineus pudor,
Neve arma, neve artes Minervæ
Eripiunt Acherontis undâ?
Dum ſternit atro turbine CAROLUM
Procella fati, Relligio caput
Dum languidum luctu recenti
CAROLIDÆ tumulo reclinat:
Regni ruinas æger & anxius
Labantis horres, mox miſer interis,
Comes ſub umbras inſecutus
CAROLIDEN, nimis heu! fidelis.
Sic marcet Anchiſes Priami rogo
Brevi ſuperſtes, ſic adiit patrem
Et Ditis Æneas ſonantem
Mox petiit novus hoſpes undam.
At o futuri mens hominum nimis
Præſaga! Si te fata remitterent,
Terrámve ſpectares Britannam,
Concilio Superûm remiſtus;
Videre poſſes non ſine gaudio
Pulſos cucullos, pictaque numina,
Romamque concuſſam, & minantem
NASSOVIUM triplici Coronæ:
Videre poſſes, ut patriæ decus,
Bellique fulmen non imitabile,
Florente Parnaſſo inter arma,
AURIACUM celebrant Camœnæ.
Quin te loquuntur, dum tibi fervida
Theatra clamant, ſaxaque perſonant,

Tuaſque

* Tuaſque læto cum tumultu
Inſtituit Rhedycina pompas.
Nec ſi peribit, quod tibi ponimus
Marmor dolentes, tu ſimul occides;
Cunctis priorem te reponent
Aoniæ, tua cura, Muſæ.
Te docta faſtis gens memor inſeret,
Tibique ſurgent templa perennia,
Lauroque florentes columnæ,
Ad citharam properante ſaxo.

——— *Ædis Chr. Alumnus.*

In OBITUM
REGINÆ *MARIÆ:*
ANNO 1695.

O Umbra Divis miſta volentibus,
Matura ſacris heu nimiùm choris:
Quæ patrio donata cœlo
Inter avos atavoſque regnas!
O quæ receptum in ſidera CAROLUM
Utrumque ſpectas! ô cuï brachiis
Occurrit expanſis ELISA,
Et capiti nova ſerta nectit!
Spectare ab alto ſi vacat æthere
Terras relictas: ſi lachrymabiles

* Comitia Oxonienſia.

Luctûs triumphos, & ſepulchri
Cernere non vacuos honores:
Videbis Iſin nunc Tua funera
Plorare; & umbræ carmina nobili
Donata conſecrare, partem
Funerei haud minimam triumphi:
Videbis, atras ut decoret vias
Pullatus ordo virginum; amabili
Decora luctu turba, telæ
Immemores ſimul & choreæ:
Videbis ægro murmure conqueri
Durum, relictâ cuſpide, militem;
Tuumque jam primùm propinquo
NASSAIDEM trepidare fato.
Hic inter omnes impavidus ſtetit
Mortis tumultus; undique militum
Turmas ruentes, ultimoſque
Audierat gemitus cadentum.
Illum nec armis fuſus Hibernicis
Senilis Heros; nec Tua funera,
GRAFTONE; nobileſve rapti
TALMASII quatiunt ruinæ.
Tu prima magni pectora Conjugis,
MARIA, frangis; jam refugit metu
Perculſus Heros; & madenti
Inſolitus tremit ore pallor.
Tu leniebas conſilio Ducis
Duros labores; Tu, Dea, gaudium
Quæ ſemper Illi, quæ Britannis
Una dabas, dabis una luctum.
Eheu! genarum purpureum decus,
Eheu! nitentis fulgura luminis,

For-

Formæque flores (heu) caducos
Corripuit maculoſa peſtis.
Quis jam levabit, quis miſerabilis
Luctus egeni? quis viduæ feret
Solatium? quis dulce reddet
Auxilium fragili ſenectæ?
Abſente quis nunc incolumes Duce
Præſtabit Anglos? Imperium maris,
Quis aſſeret, quis tradet igni
Celtiacas iterum carinas?
En! flamma ferventi æquore volvitur
Contraria; en! puppes avido Thetis
Mergit barathro, ſemiuſtos
Dum liquidus lavat ignis artus.
En! acta nigro ſulphuris impetu
Surgunt in altum corpora fumea.
En! ſpecto nubes inter altas
Attonitos volitare Gallos.
Fruſtra at MARIÆ tempora laureæ
Cingunt coronæ; fruſtra agit Anglia
Victrix triumphos: Gallicanis
Sævior (heu) Libitina telis
Divam ſubegit. Non populi preces
Te, chara, ſervant; non miſeræ graves
Gentis querelæ; non repellit
Fulmineum Tua laurus ictum.
Fruſtra auget undas navita fletibus,
Damnatque Parcas & ſua ſidera;
Armatque claſſes; (heu!) ſepultam
Nulla ratis Dominam reducet.
Quin interemptâ reſtat adhuc Deâ
Spes una; reſtat NASSAIDES ſuæ

Cuſtos

Cuſtos Britanniæ, ſuperque
Celtiacas metuendus oras.
I, magne Princeps, Borbonias Tuo
Expelle naves victor ab æquore;
Et Gallicæ agnoſcant triremes
Supplicibus Tua ſigna velis.

ANT. ALSOP, *A. B. Ædis Chr. Alumn.*

Rationes Boni & Mali ſunt Æternæ & Immutabiles.

TU, quicunque ſimul confundis Faſque Nefaſque,
Virtutemque nihil cenſes, niſi Nomen inane,
Ni contrà Leges & Conſuetudo valerent:
Siquis fortè Tibi, pleno cùm Sol nitet orbe,
Jamque dies medius cœlo ſpectabilis alto eſt,
Eſſe diem medium, Solemque nitere negaret;
Nonne hominem egregiè demirareris ineptum,
Ut mentis prorſus vacuum, vacuumve pudoris?
Tu tamen & Vitii, fortis Patronus & acer,
Cauſam agis? & ſanum credis Te, animoque valentem?
Credideris licèt, atque Deos jures licèt omnes;
Non tamen efficies, quin Te vicinia tota
Vitet, utì Medicis caput inſanabile centum.
AUREA cùm primis acta eſt mortalibus ætas,
Nondum Aſtræa hominum commercia fugerat, inſons
Quiſque fidem coluit, manibuſque & pectore purus
Traduxit vacuam ſcelere & formidine vitam.
Non quia lictoris virgas, ſævamque ſecurim

Sanguinei

Sanguinei extimuit; ſed nondum exempla parentum
Exciderant animo, nec longè a fonte remotus,
Cœnoſas haurire infelix cœperat undas.
AT ſimul ejecto vitia irrupêre pudore,
Diſrupto rapidus veluti ſolet obice Torrêns;
Condere tum leges, ſiquos reverentia Divûm
Movit adhuc, cœpêre, fides ne, ſacraque jura
Ipſaque Virtutis penitus monumenta perirent.
QUOD ſi non aliqua, ut miſerè contendis, ineſſet
Vis nativa Bono, quæ lege antiquior omni,
Cur non, cùm in Vitium proni rapiamur, honeſtis
Poſtpoſitiſque bonis, inhoneſta & prava jubentur?
SCILICET æterna eſt Virtus, quæ, Regule, viſa eſt,
Tam formoſa Tibi: certè Dea, Regule, viſa eſt;
Auſus eras præ quâ lachrymantes rejicere à Te
Uxorem, natóſque tuos, certuſque redire,
Pœnorum rabiem atque ultricem temnere mortem.
Ergo etiam ſeri, poſt tot quoque ſæc'la, nepotes
Divinum Exemplar tacito venerantur honore.
AT, lucis metuens, tenebras, & noctis opacæ
Tegmen amat Vitium; ſed nec denſiſſima noctis
Umbra valet miſerum à *ſeipſo* celare nocentem.
Intus agit ſtimulos mens conſcia, ſeque flagello
Inſequitur cæco, Tortore ferocior omni.
NEC quenquam ergo adeò rationis egere putarem,
Qui, ſi, quod turpi ſatagit conquirere fraude,
Lucrari illud idem poſſet ſine fraude, negaret;
Et voti nollet fieri, niſi crimine, compos.
JAM, ſibi qui ignoſcit propriis vitiis ſatis æquus,
Cenſorem mendoſus agit; deſævit & ipſe,
Cenſurâ dignum ſi quidquam admiſerit alter.
RUSTICUS olim adiit Conſultum Juris, ut aiunt,

Per-

Percontaturus, quid Lex ſentiret in hâc re:
Bos Vicini, inquit, ſepem perrupit, agelli
Tutelam noſtri, & viridem pede preſſit ariſtam, ——
Preſſit ariſtam, ais? & ſepem perrupit? Abito
Securus; causâ vinces: mî crede, reſartum
Hoc Tibi prægrandi præſtò cum fœnore damnum.
Ruſticus hîc, ——Satis eſt: Bos nam Tuus —— imò, ait alter,
Si Meus, eſt longè res jam diverſa profectò.
QUAM ridenda tuos bene pingit fabula mores!
Qui, ſi de propriis perdas quid vîve dolove,
Protinus exclamas, & juras, ut tuus eſt mos,
Nil Superi curant mortalia? Fulmina ceſſant
Cur tam formidata, & vindex flamma Tonantis?
Jam virtus non Umbra tibi eſt, jam Faſque Nefaſque
Sunt aliquid; cœleſti agnoſcis origine nata.
At violata Fides ſi Te ditaverit auro,
Tum Superûmque minas & bruta Tonitrua ſpernis,
Sub pedibuſque jacent leges, & vincula ſacra.
NEQUICQUAM; namque haud Virtus mutabilis auræ
Arbitrio popularis, honore orbabitur æquo;
Antè etenim verſus cedet color ater in album,
Antè diem Luna efficiet, Phœbuſque tenebras,
Quàm Diva exciderit Solio, quo fixa per omne
Perſtitit, & perſtabit in omne immobilis ævum.

Cantabr. in Comitiis prioribus, 1706-7.

IN

IN
NOVUM HOSPITIUM,

Chelseiani prorsus æmulum, ad Occidentalem Dublinii plagam feliciter extructum.

DIC, precor, Amphion, quali Chelys Enthea plectro
Insonuit, quantisque levi sub pollice nervis
Facundum trepidavit ebur; cùm saxea moles
Senserat insolitum blando percussa furore
Carmen, & attonito rueret digesta tumultu:
Cùm nova discordem sociare industria cœpit
Congeriem, certâque fide coalescere jussit,
Unanimesque rapi concursu in mœnia rupes.
DIC mihi, nam magicâ quamvis testudine Musa
Instaurare urbes captivaque ducere saxa
Nesciat, instaurata tamen celebrare superbit,
Extructasque arces audaci attollere cantu.
PARTE sub extremâ Eblanæ, quà tramite noto
Tendis in occasum, viridi donata recessu
Surgit amœna domus, quæ, limine densa frequenti,
Multiplicesque Lares spatiosoque atria magna
Amplexu numerat, vastæque capacia turbæ
Mœnia, & immanem latis compagibus alvum.
Urbem habet una domus: seu dicere gentis Hibernæ
Palladium commune velis, ubi milite crebro

Fervet,

Fervet, quem fida in CAROLOS compeſcere motus
Civiles docuit pietas, & nobilis ardor
Pectoris intrepidum miſit per tela, per hoſtes,
Fulmineoſque globos, atque atrum ſulphuris imbrem.
Seu quoque caſtra voces, veteres ubi lege Phalanges
Exercens variâ, innocuam ſub imagine pugnam
Mentitur miles, ſimulachraque Martia ludit.

STAT ſibi præſidium moles operoſa, colonis
Muniturque ſuis; nec abeſt placidiſſima ſaxis
Gratia munitis; hinc præterlabitur amnis
Lenior, ambiguiſque ſuſurrans flexibus errat;
Illinc fœcundum indefeſſo lumine campum
Metiri datur, & virides pulchro ordine ſilvas,
Valleſque, & lætis flaventia meſſibus arva.

AEREIS conis turrita & fabrica fronte
Declives longè curſus ſoliſque labores
Proſpicit occiduos, cùm feſſo mitior igne
Ire ſolet, quem fama refert (ubi, flexus ab axe,
Sideream molem & ſurgentes viderit arces)
Attonitum his tandem rupiſſe ſilentia dictis,
(Dum maris indigenæ propero acceſsêre natatu,
Cæruleæque Deæ medio emersêre profundo.)

QUA paſſim dubii penetro confinia mundi,
Extremaſque oras æternâ luce pererro,
Nil mihi dignum adeò, nec tam mirabile viſu
Occurrit; nec enim ſuperas jactare juvabit
Dardanidûm turres, teſtataque mœnia Phœbum
Artificem, nec quas jactat felicior arces
Eblana, elatos apices atque æmula ſaxa
Cœlorum, nec ſacra mihi, nec ſacra Camœnis
Templa placent; ingratus honos & inutile nomen.
Sæpe ſuas (quoties ſpiſsâ caligine languet

Pallidus

Pallidus Autumnus, lethalique incubat Auſter
Nube gravi, cœlumque udis contaminat alis)
Muſæ indignantur ſedes, nimiúmque ſuperbi
Martis tecta petunt, & vel ſibi Pallas inermis
Invidet armatæ; placidos dumque ipſe receſſus
Suſpicio moriente die, mihi dextera pronum
Sponte retardat iter, frænoſque tenacior urget
Adſtrictos, nimiæque moræ diſpendia poſcit.
Vix ea, cùm leges æternaque fœdera cœli
Increpuêre moras, & dicere plura volentem
Æquoreis merſêre undis ———
Tuque, Gradive Pater, fulgente invectus amictu
Aëreæ nebulæ, armorum dum ſplendidus ære
Immortale jubar vibras, lucemque coruſcam,
Sæpius adverſas aſpectas deſuper arces,
Et ſenio emeritas gaudens luſtrare cohortes,
Ora vides horrenda, & hiulcis aſpera rugis,
Immaneſque artus, rigidâ & membra hiſpida ſilvâ,
Relliquias belli ingentes, monumentaque geſtis
Facta ſuis, lacerumque cruenti inſigne triumphi.
TALES dimidii ſpirant in marmore vultus
Fumo ſqualentes, & multo pulvere turpes;
Vulneribus pars nulla vacat, labefacta ruinæ
Membra premunt, patulique horrent in corpore ſulci.
HIC dubii expertus repetita pericula belli
Evulſos oculi nervos & vincula tabo
Oſtentat diſrupta, & inanem luminis orbem.
Hic pedibus læſus, memori de vulnere tardus,
Claudicat, & torvâ converſus fronte ſuperbit,
Inceſſu lato, atque alternis paſſibus impar.
Ille minor cubito, veteri pro more, lacertos
Jactat inæquales, gelido dum ſanguine torpet

Lævæ

Lævæ truncus iners, vacuæque injuria pendet
Deformis manicæ, lunatæ opprobria dextræ.
Sic, ramos lacerata, annoso corpore quercus
Silvæ creſcit honos, & crebro ſaucia ferro
Fronte petit ſuperâ nubes, ſic tuta ruentes
Ventorumque minas, & tela triſulca laceſſit.
NON ultrà querulis laſſat ſua brachia mater
Planctibus, & prono averſum ſuper oſcula vultu
Fuſa tenet natum, tardis nec noctibus uxor
Ingemit, & pavidis ducit ſuſpiria votis.
Matre jubente, ruit proles, ardetque cruentâ
Tempeſtate frui, patriæque impendere vitam,
Et cæco miſcere undantem turbine campum;
Vulnus amat, plauditque ſibi mercede ſuperbus
Oblatâ, pretioque juvat ſua damna paciſci.

Jo. WHITFELD, *e Coll. Mert.*

TUBUS TORRICELLIANUS.

QUÆ fuerit cœli facies, variata per omnes
Menſes; quo blandos Zephyros, quo tempore ſævam
Vim Boreæ expectes; quis cœlo nubilus ibit,
Quis ſine nube dies; prænuntiet annuus Augur
Vilibus in Chartis, ſed non ego credulus illi.
Sic etiam Boreæ tempeſtatiſque ſonantis,
Naribus in cœlum erectis, præſentit odorem,
Strideteque horrendùm porcorum immunda propago:
Sic etiam cornix imbres divina futuros

Præmonet:

Præmonet: At quo tu cognoſcas certiùs, audi.
Fuſilis in vitreum Siphonem immitte liquorem
Mercurii; ſed nequà intret ſubtilior aër,
Tu ſummam partem, poſtquam liquefeceris igne,
Materie propriâ obſignes; pars altera vitri
Splendeat ejuſdem fluido ſuppleta metalli.
Vi propriâ liquidum refluet, dum pondus adæquet
Aëris urgentis, parili qui mole renitens
Libramen fluidum in tubulo ſuſpendit ad æquum:
Id magè quo premitur, tanto ſublimius exſtat;
Et tantùm reſidet, quanto minùs aëre preſſum.
Temperiem cœli variam, & mutabile pondus
Aëris hinc diſces; tam denſo corpore nubes
Si venti cogant, ut onus non ampliùs Aër
Suſtineat, leviore argenti impellitur humor
Pondere: diſperſas & jam ſublime volantes
Quòd ſi ſuſtineat nebulas compreſſior Aër,
Continuò tubulo incumbens, vis prægravat ingens
Mercurium, ſurſumque Metallum fortiùs urget.
Imbrifer Aprilis cùm ver floreſque reducit
Vix exurgentes terrâ, certiſſima verax
Mercurius tibi ſigna dabit; fido ille monebit
Indicio, quando teneras a frigore plantas
Defendes, quando tumido de palmite ventus,
Aut crepitans cœlo lapidoſæ grandinis imber,
Pomiferum excutiet florem, ſpem totius anni.
Si fluidum hinc inde inſtabile, impatienſque quietis,
Deſcenſu, aſcenſu, tubuli per ſumma, per ima,
Conſpicies ferri, & totum percurrere vitrum,
Tu pluvias pariter nebulas hinc inde vagantes,
Quà venti impellunt, volitare per aëra cernes:
Emittet retrahetque alternis lumina Phœbus;

Hîc

Hîc ſolis radios, ibi nigrum videris imbris
Deſcenſum, & nimbi vicino in monte fluenta.
Eſt, ubi Mercurius placidum caput erigit altè,
Tum lætos ſperato dies; nec certior Index
Phœbus erit, cùm, noſtri abiens de margine cœli,
Auratas circùm nubes, pulchroſque colorum
Depingit fluctus, & non imitabile lumen.
Omnia Phœbeo rident recreata calore,
Pura dies, cœlum clemens, innubilus æther.
Læta errat paſſim per florea prata juventus;
Prorepitque ſenex baculo veſtigia firmans,
Hauriat ut tepidas Zephyris ſpirantibus auras.
At ne perpetuos Soles & aperta ſerena
Expectes; imbres aliquando optabis amicos,
Qui largos fundant terris ſitientibus hauſtus.
Namque diu in ſummo Argentum conſiſtere vitro
Si videas, nimios metues tum languidus æſtus;
Morbiferos vibrans ignes, radioſque malignos,
Sirius arentem exuret cum gramine terram:
Emitti crebrum fulgur velocibus alis
Territus aſpicies; dum ſeſe fulmina dira
E nube in nubem provolvent tardiùs, & tu,
Conſcie, ſudabis, Divûmque vereberis iras.
Injucundæ Annus referat cùm tempora Brumæ,
Et patula umbroſis nudetur frondibus arbor,
Tum cautus liquido præſertim Interprete cœli
Utere: Quem vitri petere inferiora ubi cernis,
Suſpecti tibi ſint venti. Jam jam freta ponti
Turbine cœperunt agitata tumeſcere, ſylvis
Jam fragor audiri, & nemorum increbreſcere murmur.
Si monitus ſapies, ne cui te crede procellæ;
Nam mox lapſuras dirùm pendere ruinas

Tectorum cernes, validæ a radicibus imis
Sternentur quercus; hominum mox naufraga fluctus
Corpora projicient, fractaſque ad littora puppes.
Jam furor in fine eſt; rabidus miteſcere ventus
Incipit, & ſenſim attollit ſe mobilis Index.
Nec Vetulæ potiùs credas, quæ, ſelis ad ignem
Si caudam vertat, Brumam rigidumque Decembrem
Prænarrat; tu cras expectes frigora, ligno
Nec metuas onerare focos; ante omnia craſſæ
Ne te defendi pudeat velamine lanæ.
Mox omnis nivibus ramoſa onerabitur arbor,
Et longos terræ cernes albeſcere tractus.
Sin tubuli argentum ſummas conſcenderit oras,
Suſpenſumque ibi reſtiterit; fœtum aëra nitrò,
Sulphuréque invenies gravidum; mox omnia cano
Indurata gelu horrebunt; duramine frigus
Jam cohibet rivos, fluctuſque moratur euntes.
Si breve delectat frigus, diuturnius æquo
Laſſabit, vitroque inſpecto ſæpe rogabis,
Quando nives Auſtri ſolvent, tepidique recludent
Imbres tam longùm clauſæ ſpiracula terræ;
Quando iterum Tamiſis curſu reſolutus aperto
Ibit, ad Oceanum tremulis & defluet undis.
Nec fruſtra optâſti; tandem ſtatione relictâ
Deſcendit liquor Argenti; de montibus altis
It præceps nivium torrens, cava flumina creſcunt,
Prærupta & glacies prono detruditur amne.
Lucidus interea fruſtra ſperabitur æther,
In ſummum tubulum nondum aſcendente Metallo.
Continuò canæ, exhalat quas humida tellus,
Aſcendunt nebulæ, pluviis alimenta daturæ,
Suffunduntque pigrâ totum caligine cœlum;

Stipata

Stipata obductus latet inter nubila Phœbus,
Nec recreat placido mortalia pectora vultu;
Crescentes Auster condensat in Aëre nubes,
Nec patitur sursum tenues ascendere fumos.
His potes ex signis nimbos prædiscere, ut hinc te
Ad cœli ingenium conformans, stragula sumas
Cautus, & hirsutas intonso vellere vestes;
Nam citò descendent disruptæ pondere nubes.
Discursus hominum varios, curasque, metusque,
Tum ridens, madidâ Nymphasque in veste fluentes,
Ipse eris incolumis; tu nulla sub arbore quæres
Tegmina, tu nullas metues ex imbrice guttas,
Præmonitusque domi, & suspecto tutus ab imbre.

Cantabr. in Comitiis prioribus, 1710-11.

Ad Insignissimum Virum

D. *THO. BURNETTUM.*

Sacræ Theoriæ Telluris Autorem.

NON usitatum carminis alitem,
BURNETTE, poscis, non humiles modos:
Vulgare plectrum, languidæque
Respuis officium camœnæ.
Tu mixta rerum semina conscius,
Molemque cernis dissociabilem,
Terramque concretam, & latentem
Oceanum gremio capaci:

Dum

Dum veritatem quærere pertinax
Ignota pandis, ſollicitus parùm,
  Utcunque ſtet commune vulgi
    Arbitrium & popularis error.
Auditur ingens continuò fragor,
Illapſa tellus lubrica deſerit
  Fundamina, & compage fractâ
    Suppoſitas gravis urget undas.
Impulſus erumpit medius liquor,
Terras aquarum effuſa licentia
  Claudit viciſſim; has inter orbis
    Relliquiæ fluitant prioris.
Nunc & recluſo carcere lucidam
Balæna ſpectat ſolis imaginem,
  Stellaſque miratur natantes,
    Et tremulæ ſimulacra lunæ.
Quæ pompa vocum non imitabilis!
Qualis caleſcit ſpiritus ingenî!
  Ut tollis undas! ut frementem
    Diluvii reprimis tumultum!
Quis tam valenti pectore ferreus,
Ut non tremiſcens & timido pede
  Incedat, orbis dum doloſi
    Detegis inſtabiles ruinas?
Quin hæc cadentûm fragmina montium
Natura vultum ſumere ſimplicem
  Coget refingens, in priorem
    Mox iterum reditura formam.
Nimbis rubentem ſulphureis Jovem
Cernas; ut udis ſævit atrox Hyems
  Incendiis, commune mundo
    Et populis meditata Buſtum!

Nudus liquentes plorat Athos nives,
Et mox liqueſcens ipſe adamantinum
Fundit cacumen, dum per imas
Saxa fluunt reſoluta valles.
Jamque alta cœli mœnia corruunt,
Et veſtra tandem pagina (proh nefas!)
BURNETTE, veſtra augebit ignes,
Heu! ſocio peritura mundo.
Mox æqua tellus, mox ſubitus viror
Ubique rident: En teretem Globum!
En læta vernantis Favonî
Flamina, perpetuoſque flores!
O pectus ingens! O animum gravem,
Mundi capacem! ſi bonus auguror,
Te, noſtra quo tellus ſuperbit,
Accipiet renovata civem.

Jo. ADDISON, *A. B. e Coll. Magd.*

In

In Juvenem Nobilem

SIDNEIUM,

Caroli Montacuti Fratrem,

Occiſum à Batavis in Navali Prælio Anno 1672.

ODE.

MATER *Defuncti*, & UMBRA.

M. DUM noctis tenebræ & grata ſilentia
Componunt oculos, dum lachrymis bonus
Irrepit ſopor, aſtas
O ſpes atque decus tuis.

U. Te, Mater, vacuâ ſolor imagine:
Nec me reſtituunt fata, ſed opprimi
Te mœrore diurno
Nocturnoque vetat Deus.

M. At ſaltem in patriâ debueras domo
Extingui, in patriâ debuerant domo
Te fleviſſe Sorores
Planctus inter & Oſcula.

U. Sic viles animas, ſic timidos mori
Lethæo tacitum condit in alveo
Fatum: Méne ſupremo
Linquat laudis amor die?

M. Quid, SIDNEJE, juvat fervor, & ultimo
Partum Marte decus, quem loca ſqualida,

Quem tetræ Stygis ulva,
Cocytuſque tenet lacus?

U. His me Fama locis extulit, inſerens
Diis conſanguineis. Me comitem accipit
Clarâ quà micat ingens
SANDOVICUS adoreâ.

M. Quin Belga haud meruit talia: ſanguine
Non æquo intumuit pontus, & infimâ
Noſtrum fæce cruorem
Miſceri doluit mare.

U. At cœlo placuit. Tu pia næniis
Jam parce, atque vale: me ſubitus vocat
Portæ ſtridor eburneæ,
Et ſurgens pelago dies.

Fluxus & Reſluxus Maris pendent ab Actionibus Solis & Lunæ.

QUID regat alternos Æſtus, quâ vi alta tumeſcant
Æquora, & elatis inſurgant fluctibus undæ:
Humida quid jubeat retro ſublapſa referri
Regna, cano, pelagoque volans do vela patenti.
Principio Solem, & Terras, præclaraque Cœli
Lumina, ſurgentemque in menſtrua Cornua Lunam
Vis infuſa regit, Coitûſque immenſa Cupido
Molem agit, & magno Mundi ſe Corpore miſcet.
Ætheris hinc Ignes labuntur, & errat in Orbes
Quiſque ſuos, Phœbi arbitrio; qui Sidera certo

Cir-

Circumagi gyro jubet, exſors ſe ipſe movendi:
Hinc celeri circùm vertigine Cynthia rapta
Volvitur, & varias ſplendoris lubrica formas
Induit, ora modis oſtentans candida miris.
Quæ quoniam Terras propiùs vaga lumine luſtrat,
Efficit, ut cupidè ſurſùm magis omnia tendant
Surgere, dilectumque parent accedere ad orbem.
At leni imperio Phœbes parere recuſant
Educti Cœlo montes, nulliſque trahuntur
Illecebris, ſolido vires dum corpore vincunt.
Mollis aquæ citiùs cedit natura, mariſque
Agnoſcit Dominam; fluctus ſimul illa volentes
Ad ſeſe vocat, atque imo ciet æquora fundo,
Attollens liquidam molem campoſque natantes.
Ac, velut incenſa ingenti magnetis amore
Ardet acus, properatque coire, ſalitque, tremenſque
Nititur ad lapidis latus, & nova vincula ſentit;
Haud aliter, Lunæ obſervans iter, altiùs undas
Erigit, aſſurgitque fretis ferventibus æquor.
Nec mora, nec requies; quà ſe fert Cynthia, Ponti
Inſequitur cumulus comes unà, & gibbus aquarum.
Cùm primùm noſtro vaſti Regina profundi
Incumbit Pelago, tumidique ad littora fluctus
Nota ruunt, parte ex aliâ retinacula ſolvit
Oceani, Pontoque omnes effundit Habenas;
Subſidunt humiles undæ, refugæque recumbunt.
NEC nihil interea, qui lucida tela Diei
Spargit, & aſpectat terras Sol arduus omnes,
Emotam turbat Tethyn, agitatque tumentem.
Cynthia cùm Fratris radiis obnoxia pleno
Orbe coit, ſeu cùm præacutis Cornibus ibit,
Cernere erit magno Marmor trepidare tumultu:

At, si dilectæ Lampas Phœbea sororis
Dimidiam partem candenti lumine tingit;
Paulatim sese tollens, mare tardiùs æstum,
Provolvet segnem: sin jam pervenit uterque,
Quà Libra æquato discrimine dividit orbem,
Continuò ad Cœlum convexo gurgite fertur
Ardua congeries Pelagi, & vada spumea crescunt
Cum sonitu; nullo tantum se turbine Nereus
Jactat, & ipsa suas mirantur Cœrula vires.
Scilicet has leges Natura, & Fœdera Lunæ
Imposuit; Solemque dedit, qui tempore certo
Et premeret, Maris & montes educeret altos.
Ni faceret, latè circùm se immobilis humor
Sterneret in morem stagni, obscœnæque paludis.
Jam, jam nulla mora est Ratibus; nunc Anglica Classis,
Aurarumque leves animas, & flamina captans,
Jura dat Oceano; Littusque affectat Eoum,
Indiam in Europam portans; nunc labitur alveo
Insolito Ganges, Thamesisque it turbidus Auro.

Cantabr. in Comitiis prioribus 1719-20.

POCOCKIUS.

DUM cæde tellus luxuriat Ducum,
Meum, Pococki, barbiton exigis,
Manesque muam fastuosam
Sollicitant pretiosiores.
Alter virentum proruat agmina
Sonora Thracum, donaque Phillidi

Agat

Agat puellas, heu decoris
Virginibus nimis invidenti.
Te nuda Virtus, te Fidei pius
Ardor ſerendæ, ſanctaque Veritas
Per ſaxa, per pontum, per hoſtes
Præcipitant Aſiæ miſertum:
Cohors catenis quà pia ſtridulis
Gemunt onuſti, vel ſude trans ſinum
Luctantur actâ, pendulíve
Sanguineis trepidant in uncis.
Sentis, ut edunt ſibila, ut ardui
Micant dracones, tigris ut horridos
Intorquet ungues, ejulatque
In madido crocodilus antro.
Vides lacunæ ſulphure lividos
Ardere fluctus, quà ſtetit impiæ
Moles Gomorrhæ mox procellâ
Hauſta rubrâ, pluviiſque flammis:
Quòd iſta tellus ſi ſimiles tibi
Si fortè denos nutrierat Viros,
Adhuc ſtetiſſet, nec vibrato
Dextra Dei tonuiſſet igne.
Quin nunc requiris tecta virentia
Nini ferocis, nunc Babel arduum,
Immane opus, creſcentibuſque
Vertice ſideribus propinquum.
Nequicquam: Amici diſparibus ſonis
Eludit aures neſcius artifex,
Linguaſque miratur recentes
In patriis peregrinus oris.
Veſtitur hinc tot ſermo coloribus,
Quot tu, POCOCKI, diſſimilis tuî

Orator effers, quot viciſſim
Te memores celebrare gaudent.
Hi non tacebunt quo Syriam ſenex
Percurrit æſtu raptus, ut arcibus
Non jam ſuperbis, & verendis
Indoluit Solymæ ruinis.
Quis corda pulſans tunc pavor hauſerat!
Dolor quis arſit non ſine gaudio,
Cùm buſta Chriſti provolutus
Ambiguis lachrymis rigaret!
Sacratur arbos multa POCOCKIO,
Locoſque monſtrans inquiet accola,
Hæc quercus Hoſeam ſupinum,
Hæc Britonem recreavit ornus.
Hîc audierunt gens venerabilem
Ebræa Moſen, inde POCOCKIUM
Non ore, non annis minorem,
Atque ſuam didicêre linguam.
Ac ſicut albens perpetuâ nive
Simul favillas, & cineres ſinu
Eructat ardenti, & pruinis
Contiguas rotat Ætna flammas;
Sic te trementem, te nive candidum
Mens intus urget, mens agit ignea
Sequi reluctantem Ioëlem
Per tonitru, aëreaſque nubes.
Annon paveſcis, dum tuba pallidum
Ciet Sionem, dum tremulum polo
Caligat aſtrum, atque incubanti
Terra nigrans tegitur ſub umbrâ?
Quod agmen! heu quæ turma ſequacibus
Tremenda flammis! quis ſtrepitantium

Flictus

Flictus rotarum eſt! O POCOCKI
Egregie, O animoſe Vatis
Interpres abſtruſi, O ſimili ferè
Correpte flammâ, te, quot imagine
Crucis notantur, te, ſubacto
Chriſticolæ gravis Ottomannus
Gemens requirit, te Babylonii
Narrant poëtæ, te pharetris Arabs
Plorat revulſis, & fragoſos
Jam gravior ferit horror agros.
Quà Geſta nondum cognita Cæſaris,
Quà nec Maronis ſcripta, POCOCKIUS
Ploratur ingens, & dolenda
Neſtoreæ brevitas ſenectæ.

E. SMITH, *Ædis Chr. Alumnus.*

CAMERA OBSCURA.

NOcturnum Zeuxem, variæ ſubtemina lucis,
Et picturatam ſine ſucco & arundine chartam,
Phœbe, canas, lucis Deus idem & carminis idem.

ERGO age, quæ Borean à fronte exceptet, opacam
Conſtituas Cameram: valvas utrinque feneſtræ
Obde priùs, nullamque ſinas in pariete rimam
Hiſcere; per tenues ne lux ingreſſa meatus
Confundat teneras ſpecies, formaſque caducas.
Exiguum tamen in valvis pertunde foramen,
Quà radii introeant, lævique huic inſere vitro

Tornatam, modicoque rotundam gibbere Lentem;
Et ponè albentem digito ſuſpende tabellam.
Huc ſpecies rerum illapſæ, quà porta pateſcit,
Sponte ſuâ intrabunt, & punćto temporis uno
Per chartam Automatas cernes volitare figuras.

TALES, ſiqua fides Epicuro, è Corpore ſenſim
Membranæ aufugiunt; oculis ſeſe ingerit ultro
Lamina, ſenſibilique intrans ferit Organa pulſu.

JAM verò, quâ vi refringat vitreus umbo
Exceptos Lucis radios, quâ Lege vagantes
Colligat in nodum complexus, & ima ſupremis
Vertat; cur amet obtentas pictura tenebras,
Judicis arguti quum non formidet acumen,
Expediat Phyſicus — neque enim datur omnia ſcire
Vatibus — hoc unum ſatis eſt cognoſcere, quòd non
Incaſſum, velutique ipſi, Natura laborat.

QUARE age, quæ ſenſu fuerint magìs obvia, mecum
Conſpice, nec cauſas rerum ſcrutare repôſtas.

ECCE ſuperficies, quam quondam ingloria nudam
Veſtiit albedo, ceu mille coloribus Iris
Imbuta, oſtentat varii diſcrimina fuci,
Luxuriemque novam; lautoque ſuperbit amictu.
Cernis ut incepit nullo flaveſcere cultu
Extemplò matura Seges; jam ſuave rubentes
Area ſponte ſuâ fundit tibi dædala flores.
Hîc mole exiguâ Turres, ſimulataque magnis
Tecta anguſta vides: Sed prono vertice turris
Deſuper impendens nutat, ſummuſque deorſum
Vergit apex: Cœlum ſubſedit ad ima tabellæ,
Summa petens emerſit humus: Sic Ruſticus olim
Credidit Antipodum ſurſum veſtigia niti,

Impo-

Impoſitoque hærere ſolo; miratus abunde,
Quòd non præcipiti lapſu petat ardua cœli
Pendula turba ruens, ſubjectaque ſidera pulſet.
Hîc etiam Motum, quem non eſt auſus Apelles
Moliri, pictum aſpicias. Ut gramina flabris
Summa tremunt, undantque levi ſinuamine fluctus!
Mimica nunc hominum Effigies, nunc Charta ferarum
Mentitur ſimulachra modis volitantia miris.
Certatim properant tenues arceſſere vitas,
Progenies hodierna; & plurima ſpirat imago,
Miraturque novas formas, & non ſua membra.
JAMQUE Equitem, ſiquem fors huc advexerit, ultro
Arripis, inque tuam cogis migrare tabernam,
Nec tamen impedias iter, aut ſis cauſa morandi.
Hîc avidos paviſſe oculos, ſalvoque pudore
In caput excuſſam fas eſt vidiſſe puellam.
Ut graciles artus tenuantur! ut ambitus imæ
Veſtis in exiguum tandem concluditur orbem,
Quam tamen in quartam ſartor porrexerat ulnam!
Scilicet hôc etiam eſt ſimilis Pictura Puellæ,
Quòd tangi metuens prenſantem lubrica dextram
Exultim fugit, eluſumque relinquit amantem.
JAM ſatis eſt: Tectum tandem lux intret apertum:
Priſca redit chartæ albedo, fluxumque nitorem
Exuit, & lautam tantâ farragine Pompam;
Gloriaque in tenues dilapſa reſolvitur auras.
Uſque adeò quæ lux illuſtrat cætera, noſtram
Obſcurat ſcenam, & nimio fit inutilis uſu.
SIC quondam Lemures ſubluſtri noctis in umbrâ
Exiles agitant Choreas, & luce maligná
Rara per anguſtum plebecula ſaltitat orbem;

Mox jubar exoriens pallentes discutit umbras,
Spectraque cognatam repetunt evanida noctem.

Cantabr. in Comitiis posterioribus, 1720.

ATRIUM PECKWATERIENSE.

CEcropias arces, centumque habitata Camœnis
Atria, Phœbeique chori penetralia dicam:
Adsis, O Thymbræe favens, artisque Minerva
Inventrix, & vos præsentia numina Vatum
Ferte pedem, faciles Musæ; si munere vestro
Amphion blando percussit saxa furore,
Et rigidas muro jussit coalescere rupes.

QUA molem ingentem, spatiosaque mœnia jactat
Augusti Regina loci, Wolsëia sedes,
Fabrica sublimi se vertice tollit in auras,
Majestate gravi, & multâ spectabilis Arte,
Egregii monumentum animi; quam læta venustas,
Commodiorque ornat structura; aptique Penates.
Nulla quidem aëreo surgunt in culmine signa,
Nec cælata vides facili laquearia torno;
Quin operis mansurus honos, solidæque columnæ
Apparent, tectique haud enarrabile robur.

TALE nec Ausoniis posuit fundamen in oris
Vitruviana manus, nec tanto educta nitore
Stant Latii decora alta, licèt Divûm aurea templa
Regalesque domos septeno in colle recenset,
Tarpeiamque arcem, & Capitolî immobile Saxum.

O quoties sistit dilecto in limine gressum

Specta-

Spectator, capiturque locis, & amore videndi
Ardet inexpletum, atque oculos per ſingula volvit:
Nunc ut Dædaleæ ſurgunt juſto ordine turres,
Gratia quæ capiti, quàm ſplendida frontis imago,
Ut rectè ad normam quadrata! O auſpice Phœbo
Digna domus, quamque ipſe colat vel condat Apollo.
FORSAN & antiquæ charus Nutricis Alumnus,
Ut Natum dulci in gremio committat habendum,
Deveniet, priſcoſque Lares, & avita locorum
Luſtrabit ſtudio recolens, vetereſque Sodales
Fataque Fortunaſque Virûm, moreſque docebit.
Hîc ego, ſi memini, ſpatio concluſus iniquo
Florebam ſtudiis, & docti laudibus otî.
Parte aliâ comites dextrâ lævâque frequentes,
Qui ſoliti in ſylvis Academi expendere verum,
Altaque Socraticis formârunt pectora Chartis,
Aut quibus eloquium, legumque oracula cordi,
Pæoniæque manus, magnique Euclidis Alumni.
Hîc etiam aërio dignata ſub imbrice tecti
Ludere Miltoni numeris Ariconia Muſa,
Fumosâ Vates dum fallit arundine Noctem,
Regum æquabat opes *Solido ſplendente* beatus.
Felix prole Virûm, partuque enixa feraci
Fudiſti e gremio Heroas, tu fulmina belli
Ormondos, tu conſilii non futilis unquam
Regibus Autores; Tibi Mitram Eccleſia debet
Defenſam, puraſque Aras, Tibi Curia claros
Eloquio proceres, ſtimulat quos conſcia Virtus,
Dulcis amor Patriæ, laudumque immenſa Cupido.
Stet precor immortale decus, longumque per ævum
Aurea progenies parili ſuccedat honore:
Hæc vovet ille tuæ quondam pars infima Turbæ,

Infima

Infima pars, ſed quâ nec amantior ulla tuorum.
Sic Pater Anchiſes Lethæi ad fluminis undam
Ducendam enumerans Italo de ſanguine prolem,
Venturoſque duces omnes, capita alta ferentes,
Divûm illuſtre genus, Marios, forteſque Camillos,
Scipiadaſque acres bello, &, Te, Maxime Cæſar,
Æneæ pia corda futuræ ſtirpis amore
Incendit, memorans famamque & fata Nepotum.

AT Vos, o dulces animæ, quorum ardua moles
Emicat Auſpiciis, doniſque opulenta ſuperbit,
Vos, ſiquid Muſæ, ſiquid pia carmina poſſunt,
Si meritis quis conſtat honos, non parva ſequetur
Gloria, nec tantis aberit ſua gratia factis.
Et Tua, Radclivi, generoſæ munera dextræ
Multiplici dicent citharâ, ſumptuſque rependent
Aonidæ laudum pretio, nomenque videbis
Supra arces, ſupra ire Tui faſtigia tecti.

* TUQUE adeo, per quem juſto ſtat Fabrica ritu,
Et lætâ induitur ſpecie, confeſſa capacem
Structoris genium, natamque ad grandia mentem,
Tu nova venturis, ſi quid ritè auguror, annis
Argumentum ingens, facies certamina Muſis.
Nequicquam Te buſta ſilent, omniſque ſepulcri
Splendor abeſt, tacitumque jacet ſine nomine Saxum.
Tempus erit, cùm Te ſpirantia mollius æra,
Aut ducti Italico fingent e marmore vultus,
Fulgenteſque oculos, & apertæ frontis honores,
Hîc torni labor, in mediâ ſublimis arenâ,
Pierias, Tua regna videns, tutaberis arces.

TH. BROMLEY, *Æd. Chr. Alum.*

---

* Dr. ALDRICH.

LATERNA MEGALOGRAPHICA.

EXILES magico formas effingere luſu
Aggredior, circumfuſiſque aperire tenebris
Lucida non ipſi ſpectacula cognita Phœbo.
Effer opus lepidum, poſcentibus effer amicis
Laternam; nunc obde fores, nunc obde feneſtras,
Propellens radios infeſtaque tela diei:
Nempe leves minimâ abſorbentur luce Figuræ,
Nubila amant, ſolâque volunt ſub nocte videri.
Haud aliter cùm furvæ horrendâ noctis in umbrâ
Artem iterat vetitam Saga obſcœnumque laborem,
Diſruptiſque audet tumulis arceſſere manes;
Solis equi errantes animas ad Tartara cogunt,
Sæviſque aëreum diſſolvunt flatibus agmen.
EN! ſubitò murum ſignat, radiiſque malignis
Perſcindit nebulas obſtantes igneus umbo,
Ingens, ſanguineumque micans; vexata furore
Theſſalico, tali deſpectat Cynthia vultu
Hiſcentes terras, & ſpectra meantia cernit.
PROTINUS accedunt miſtâ ſub imagine monſtra,
Undique collatis diſcordia corpora membris.
Hîc feſtiva aures Satyrorum turba protervas
Erigit, & caudam vibrat, luditque, ſaltque,
Oraque terribili torquet larvata cachinno.
Averſor terrum aſpectum, tædetque tueri
Ampliùs —— Egregios oſtendit Scena triumphos
Splendidior; Regumque apices, Procerumque coronas
Undique

Undique conſpicio tremulas, Nymphaſque nitentes.
PROXIMUS à tergo it Nymphis (quis dignior iret?)
Notus Eques, Nympharum ultor, ferroque Draconem
Deprimit inſurgens; nequicquam bellua nodos
Mille plicat, caudam inſinuans, linguamque minacem;
Ille jacenti inſtat, teliſque retundit inanes
Attollentem iras, & flammea colla tumentem:
Ter felix! ſed jam brevis heu Victoria! longùm
Nec tu, Victor eques, nec tu ſpectabere, Serpens.
HINC, procul hinc bellorum iræ, cædiſque cruenta
Abſcedat facies — Placidum caput ecce! Lyæus
Intulit, & lætos expandit frontis honores.
Ardent ſuffuſi generoſo munere vultus,
Purpureiſque rubent intextæ crinibus uvæ.
Ille abit — Uſque adeò brevis eſt humana voluptas!
Inſigne horrendum lethi, tumulique ſupellex,
Continuo ſubit os hominis, cui gratia nudas
Nulla genas veſtit, nullique in vertice crines;
Hinc atque hinc rarus fracti circum oris hiatum
Dens hæret paſſim; excutitur defoſſus utrâque
Sede oculus, mœſtumque intus ſpectatur inane.
AVOLAT hæc ſubitò notiſſima mortis imago;
At magìs horrendum, magìs illætabile Spectrum
Adventare monet: ſenſim ſe tarda tenebris
Effert effigies (qualis nec triſtior ulla
Terret anum, hybernæ per dira ſilentia noctis,
Sopitum dum ſola ſedens dormitat ad ignem;
Cùm certos Umbræ adventus ſubituſque lucernæ
Præſignat pallor tractæ ſtridorque catenæ)
Deſcendit ſtola lugubris de vertice ad imos
In nodum collecta pedes; tædam illa ſiniſtrâ
Prætendit feralem, & formidabile pallet.

O nun-

O nunquam tibi viſendi tam funebre monſtrum
Sit ſtudium, Virgo; in ſomnis tibi triſte recurret
Viſum; ſudabis fruſtra, fruſtraque requires,
Quem prenſes arcto amplexu trepidiſque lacertis,
Heu! longam damnans noctem vacuumque cubile.
TALI formarum farragine mœnia fulgent:
Sin ſpatio abfuerit paries tibi longiùs æquo,
Apparet rudis, indigeſto lumine, moles;
Debilis haud nitet, indiſcretaque languet imago.
Qualis ubi primo tabulam molimine Pictor
Tinxerit, & nullo diffuderit ordine ſuccos,
Diſperſas circùm nubes, dubiamque figuram
Cernis, & informes fuci ſplendentis acervos.
NUNC abſiſte, fores aperi, valvaſque reclude:
Ecce perit tenuis, Phœbo redeunte, colorum
Tractus, & umbrarum veſtigia fluxa recedunt.
Corpora ſic molli dum vincta ſopore quieſcunt,
Plurima pertentant animos ſimulachra vagantes,
Nunc homines, celereſque feræ, pictæque volucres,
Funera, Pompæ, adeunt nullo fugiuntque tenore,
Inſomnis luſus animi: Mox luce propinquâ,
Ruptus abit ſomnus; ſanas Phantaſma relinquit
Excuſſum mentes, veruſque reducitur ordo,
Et facies rerum manifeſto lumine ridet.

Cantabr. in Comitiis prioribus, 1720-21.

Sonus propagatur per Aerem.

RIPHÆI ſuper arva ſoli, campoſque nivales
Gentis Hyperboreæ, ſeptem ſubjecta Trioni
Porrigitur Tellus; Zemblam dixêre Minores.
Illic, ut perhibent, triſtem penetrabile vincit
Frigus humum, rapidoque ruentia flumina curſu
In ſolidam vertit glaciem, & (mirabile dictu!)
Aëris in magnum ſævit mare; molle fluentum
Vi cohibet multâ per parvos Bruma meatus
Didita, nec Zephyro impelli ſcit mobilis humor.

HINC non eſt tremulæ voci via libera, at ipſa
Verba gelu frænat; nix acri aſtricta pruinâ
Cana cadens premit, & circùm undique fuſa coërcet.
Namque ubi per patulas, facili jam tramite, fauces
Raſit iter liquidum Sonus, oris protinus hæret
Veſtibulum ante ipſum, & labrorum in limine primo
Siſtit; nec reperire viam, atque attingere metas
Optatas potis eſt, & jam fruſtratur hiantes.
Uſque adeò inceptis Sermonibus invida Juno
Obſtat; quæque loquax nimis, æthera ſæpius implet
Voce, potens ipſum linguâ ſuperare Tonantem,
Nec miſſas audire ſinit nec reddere voces.

NON tamen hæ rapidis volitant ludibria ventis
Diſperſæ temerè in cœlo, neque frigida formas
Tempeſtas miſcet teneras, turbantve procellæ:
Denſat Hyems, ſolidoque ſuper duramine vincit.

ERGO vana ferunt vocum ſimulachra vagari

Aëris

Aëris in campis latis, defunctaque vitâ
Murmura; multa cavis quærit se condere sacris
Umbra Querelarum; sunt & sua sæpe Cachinnis
Spectra, suosque pati fama est Suspiria manes.
Multaque præterea variorum monstra Sonorum
Discurrunt, errantque cavæ sub imagine formæ;
Donec Vere novo terras Sol lumine mulcet,
Et referat tepidas Zephyris labentibus auras.
Aëreas calor ille vias, & rara relaxat
Spiramenta, aures sonitus quà lubricus intret.
Tum verò reddi deinde, & resoluta referri,
Irrita quæ frigus taciturno clauserat antro,
Et simili jam nunc sensus penetrare figurâ.
NEC mora; se primò vinc'lis exolvere mollis
Turba Susurrorum, liquefactaque stridere tentat.
Addunt se socios Crepitus, facilesque sequuntur.
Continuò toto fragor aridus undique cœlo
Auditur, strepitusque & inania sibila miscet.
Mox propiùs tenues, nec jam confusa, per auras
Circùm verba fremunt: vicinæ syllaba fida
It comes à tergo; nec longum tempus, & ipse
Clarescit certo notus discrimine Sermo.
NEC verò cunctis idem datur exitus umbris;
Namque leves verborum Animæ, quæ Gallica fudit
Lingua, fugam properant, & fulguris ocyor alis
Ardet abire cohors simul omnis, & advolat aures.
At contrà, Hispano quicunque caducus ab ore
Exibat sonitus, tardo ferit organa pulsu,
Et lentâ vix vix cum Majestate movetur.
NAVITA si guttur, nondum æthere raucus aperto,
Tartareum intendens, comites clamore ciebat,
Agnoscit reducem longo pòst tempore fletum,

Mira-

Miraturque ſimul queſtus ſocioſque receptos.
Fortè novus turbat, media inter gaudia, pulſans
Corda pavor; ſævire Urſi, rabidique videntur
Circùm ululare Lupi; quorum, dum Bruma manebat,
Cum gemitu fugêre animæ, dubiamque ſuperſtes
Sollicitat fremitus mentem, & vox poſthuma terret.
HAUD equidem credo ſpretâ decedere Cypro
Idaliæque jugis Venerem, gelidâque ſub Arcto
Inſtaurare Choros; ſi quis tamen hoc quoque, ſiquis
Captus amore legat littus, Te, Phylli, myricæ,
Te nemus omne canit; formoſam arbuſta Lycorin,
Formoſam doctæ reſonant Amaryllida Sylvæ.
Reſpondent pulſæ valles, iteratque jocoſa
Nomen Imago; rudis ſtupet arguti incola Luci
Accipiens dulces ſummo de monte querelas,
Incertus, Geniumne loci, Faunoſne locutos
Eſſe putet: fauſto mox neſcius omine gaudet,
Indigiteſque Deos, & Numina ruris adorat.

Cantabr. in Comitiis poſterioribus, 1721.

SYSTEMA COPERNICANUM.

DUM Species captare novas Mens ſedula primùm
Incipit, & Rerum paulatim aſſueſcere Formis;
Senſibus interea (non ſpectatoribus æquis
Naturæ, Verique) rudis conſentit; at horum
Decepti toties, tandemque valere jubentes
Indiciis, Mentem ſequimur; dum Viribus illa
Confidens propriis, peregrè ſine Corpore geſtit

Aëreas

Aëreas tentare Domos, Terrâque relictâ
Surgit, & illusis contraria Sensibus offert.
JAM, felix Errore suo, compleverat Orbem
Sol vagus immensum; placido delata Tenore
Tarda simul parili volvebat Tempora Gyro.
Nunc rapidis invectus Equis axemque sonantem
Ascendens, sese in breviorem contrahit orbem;
De Cœlo tandem, longis Erroribus actis,
Truditur; inque vicem, permixta micantibus Astris,
Scandit, & insuetum Tellus miratur Olympum.
CUR tamen interea Cœlos, novus Incola, noster
Invisit Globus, errandi perculsus Amore ——
Quid vastum per Inane regat —— quibus erret in Orbes
Legibus astrictus, varioque per Æthera Gyro
Palantes inter colludere gestiat Ignes ——
Dicant, queis tales Cœli cognoscere Leges
Cura fuit: liceat Naturæ Vatibus Ora
Longiùs admirari, Astrorum longiùs Orbes
Servare, & facili Pompam depingere Versu.
ASPICE quà tandem medio Sol aureus Orbe
Flammanti residet Solio; videt arduus unde
Immensos, sua Regna, Polos; videt ordine certo,
Quem regit Ipse, vagos Astrorum volvier Ignes.
En! ut læta Choros exercent, Sidera quondam,
Jam Mundi, Populisque suis, Opibusque superbi!
Hunc circum in Numerum discurrunt; Ille vagantes
Et premere, & laxas novit dare rursus habenas.
Proximus huic, radiis tostus flagrantibus, ardet,
Excursusque brevi tentat Cyllenius Orbe:
Addit se Sociam Venus aurea; jamque decoro
Plena nitet, jamjamque acuit se in Cornua, Vultu:
Tum variè Soli illudunt; circúmque supráque

Currere,

Currere, nunc ipſos videas perſtringere Vultus,
Lucentique Globo Maculas inoleſcere miras.
Proxima deinde Locum, poſtquam eſt edocta vagari,
Tellus Æthereâ tandem ſibi legit in Arce;
Quâ Sol Quadrigas olim per lucida Signa
Egerat, & certo ſignârat Tramite Cœlum:
Multiplici, hanc circum Lunæ vagus Orbis oberrat,
Reſplendens Facie, pariterque per Æthera tendit;
Interiore tamen Menſes trahit Altera Gyro,
Altera dum Cœlo labentes dividit Annos.
Interea Tellus viden' ut jam contrahat ingens
Terraſque, Tractuſque Maris, Monteſque ſuperbos,
Ardentemque Polum tenui vix Lumine ſignet?
Quin & vicini nunc forſitan Incola Mundi,
Sidera dum ſervat, mediis in Millibus Illam
Scintillare Polo cernit; Stellamque notavit
Palantem, exiguam, per Cærula vaſta vagari.
Excipit hanc Mavors, radiis ſub nocte profundâ
Sanguineis lugubre rubens; hunc regia circum
Stella Jovis ſecum inſignem trahit Ordine Pompam.
Ultima mirandam Saturni Machina Scenam
Claudit, & ingenti Mundum complectitur Orbe.

SIC cùm præcipiti liquidos petit impete campos
Fortè Lapis, tremuloque ciet Sinuamine Pontum;
Parvulus hunc circum tumet Orbis, & illè ſecundum
Creſcenti impellit Curvamine; tertius alter
Deinde magíſque magíſque agitata volumina pandit:
Tum pulchro videas creſcentes ordine, donec
Fluctuet immenſum ſaltantibus Orbibus Æquor.

Cantabr. in Comitiis prioribus, 1721-22.

Phæn

Phænomena Microſcopiorum ſolvi poſſunt ex Principiis Opticis.

ADMIRANDA cano levium ſpectacula rerum,
Exiguam gentem, & tenuem ſine mole catervam,
Artus exutam graciles, notamque figuram,
Inque novas formas, & vix ſua corpora verſam.
TU Culicem famâ quondam dignata perenni,
Diva, fave; tibi res intactæ laudis & artis
Aggredior, quas nulla priùs perſpexerat ætas:
Sic curas hominum incertas, vanoſque labores
Eluſit natura olim, ſic invida juſſit
Veſtibulum ante ipſum, primoque in limine ſiſti;
At nobis penetrare adyta, atque inviſere rerum
Intima conceſſit tandem mirabile Vitrum.
SIN quibus illa modis, quâ fiant arte requiras,
Hoc aliorum opus eſt — mihi ſit modò cura fideli,
Quam videas illic, verſu deſcribere Pompam.
ET quàm læta oculis ſurgit jam Scena minuta!
Quàm jucunda patent parvi penetralia mundi!
QUID dicam, venis qui manat, vividus humor
Ut vario exultat curſu, refluitque fluitque
Corde micans, ſpargitque habilem per membra vigorem?
Qualis Mæander Phrygiis ſinuoſus in arvis
Mille fugit refugitque viis, circùm undique ripæ
Flumina fœcunda, & lætos largitus honores.
NEC tibi te Vitro oſtendam, formoſa Puella,

Mutatam

Mutatam in rugas, ſcabræque opprobria pellis;
Hoc vetat ipſa Venus, nec dicet noſtra Thalia.

CERNITUR hìc etiam qualis tibi, Belle, cerebr
Pulveris implet odor, ſeu quem Brazilia mittit,
Sive Hiſpanus erit, ſeu ſuavem ſpiret Havanam.
Quid verò hoc inter memorem miracula Vitri?
Quàm nihil huic intra eſt cerebro, niſi Pulvis, inepto,
Ipſi oculo patet, & Vitro ſine cernere poſſis.

QUIN age, quàm pulchrè ramos & brachia Quer
Attollit ſeris factura nepotibus umbram,
Aſpice, & exiguâ Silvas in Glande latentes.

HIC, quamvìs avida, explebis tua vota, Colone,
Dum meſſem grano ingentem ſpectabis in uno:
Ne tamen hinc nimium ſperes; En qualis acervi
Prædatrix Formica ſubeſt! En horrida membra,
Et patulos oris rictus, dentemque tenacem!
En crura, & quanto trudit frumenta lacerto!
Vix magis eſt mutata, tuis quando, Æace, votis
Myrmidonum quondam replevit inania regna.

NEC tu, Muſca, minor; tibi pennarumque colore
Ardenteſque oculi fulgent, & corpore toto
Arrectis ſetæ ſimiles haſtilibus horrent.

AT quantus tandem rerum mihi naſcitur ordo!
Tene loquar, mirande Culex? Cui cornua ſurgunt,
Quanta nec excelsâ Cervorum in fronte geruntur.
An te, provida Apes? Mauræ quæ more cohortis
Cæco tincta vibras ingentia tela veneno.
Hæc & Amor ſenſit: nec talia ſpicula cernens
Rideret Cytheræa ſui jam vulnera nati.

SED neque te, quamvìs noſtros exoſa labores
Hæc, Tinea, infami rodes citò carmina dente,
Pavoni formâque parem plumiſque tacebo.

OMN

OMNIA magna cano: Quantum ſibi Caſeus hoſtem
Viſcere alit proprio! Capitis tu dira Supellex
Rhinoceros, ſurgis Pulex Elephantis in artus.
HAUD aliter, (ſi parva licet componere magnis)
Perſeus anguicomæ cùm prodidit ora Meduſæ
Palladio in ſpeculo mutatum vidit Atlanta
Creſcere in immenſum, fulturum ſidera, montem.
PRÆTEREA hinc demum patuit pars altera mundi,
Nec terram ignotam ſolùm inveniſſe *Columbum*
Vidimus; En alium detexit & *Hookius* orbem.
ASPICE Aquæ guttam; tu nil mirabile cernis:
Innumeram latitantem intùs videt Ille catervam
Saltare, & circùm tenui ſe mole movere;
Miratuſque agiles artus, parvaſque Choreas,
Evertit totam depreſſo pollice gentem.
SIC ubi Pygmæi furtim ſubducere clavam
Intenti denſo Alciden cinxêre tumultu,
Exigui riſit conatus agminis Heros,
Compreſſitque omnes Nemeæi pelle Leonis.

Cantabr. in Comitiis Poſterioribus, 1723.

AURORA BOREALIS.

AEREOS ſupra campos, loca fœta procellis,
Et Jove fulmineo reſonantia, purior Æther
Porrigitur; cœli non hîc ſpirabile lumen;
Non rorem aut denſos tenuis plaga ſuſtinet imbres:
At calidus Nitri vapor, & corpuſcula vivi
Sulphuris, ambageſque viæ nebulaſque morantes

Aſcenſu

Aſcenſu longo ſuperant, & inania complent:
Quippe hæc intus agens altum conſcendere cœli
Admonet, & craſſæ vigor igneus eripit auræ.
Et jam, ſeu propior ſopitos ſuſcitet ignes
Phœbus, ſeu totâ Vulcani ſemina maſſâ
Commixta, inter ſe magno commota tumultu,
Sponte ſuâ rapiant flammas, ſe plurimus ignis
Emittit, volvens immixto lumine fumos;
Et quà ſuppeditat diffuſum pabula ſulphur
Omnia pervolitat latè loca, & inter eundum
Lucida per cœlos fingit miracula rerum.

SIC dum per medium rutilo ſubvectus Olympum
Curru labentem metitur Cynthius annum,
Signat iter radiis, totoque immania tractu
Monſtra rubent, diriſque ardeſcit ſemita formis.

ASPICE, ut attonito decedat lurida Noctis
Umbra polo! Victas nequicquam obnoxia Soli
Mira Dies arcet tenebras; conſurgit imago
Plurima, luxurie pulchrâ conſperſa colorum.

HIC variæ dives lucis, proprioque nitore
Conſpicua in mediis curvatur nubibus Iris;
Illic ſanguineos ardens lugubre Cometa
Diffundit crines; aut exit mole ſuperbâ
Pyramis, atque apice in cœlum flammante minatur.
Jam ramis aureis atque aureâ fronde coruſcans
Arbos erigitur: pennâ jam præpete Fulgur
Evolat, albentique inſcribit nubila ſulco.
Tum quot Luna ſolet, totidem Lux mimica vultus
Induit; ingenti tum ſolis lampada cyclo
Mentitur: liquidi tremulum quoque luminis æquor
Criſpatur longè, dulcique volumine ludit.

QUI

QUINETIAM egregias pendere in nubibus Urbes
Suſpicies, cinctamque armis ad mœnia pubem
Certatim in Martem ruere; & jam miſſa per auras
Tela faceſque volant; premitur jam pectore pectus,
Et pede pes, ſævúmque enſes haſtæque coruſcant.
Oppoſitæ turmis turmæ pugnamque fugamque
Alternis ſimulant, torvus furit undique Mavors,
Et picturato reſplendent æthere bella.
QUID loquar ut ſeſe luſu laſciva jocoſo
Lux condat, prodatque iterum, cupiatque videri?
Quid dirum armorum ſtrepitum, ſonituſve tremendi
Fulminis? aut flagrans quos ſpargat ſulphur odores?
AT cùm jam flammis victum ſupera alta recuſant,
Nec ſolitas vires exhauſtus ſufficit æther,
Rareſcit ſenſim ſplendor; tandem ignis opacos
In fumos dilapſus abit, latéque vaporat
Agglomerans tenebras: fugiunt cum lumine formæ;
Nox redit, & furvus terras circumvolat horror.
TALIS quæ regum palmas lætoſque triumphos
Exprimit, Artificis pulchro variata labore
Pictura, obductos ſimul ac abolere colores
Incipit, & fuci tractus depaſcitur ætas,
Horreſcit rimis, crebroque fatiſcit hiatu;
Squalori rerum concedit lucidus Ordo,
Et priſci reſtant veſtigia nulla decoris.

Cantabr. in Comitiis Prioribus, 1726-7.

Actio datur in distans.

VOCALES Graphii ductus, tabulamque potentem
Et sapere & fari, (Inventum memorabile *Stradæ*)
Musa, velim expedias; neque enim Magnetica virtus
Unquam alio gaudet magis aspectabilis usu.
CERNIS ut in tenui libratilis axe perrennem
Servet acus legem, & (tantâ viget indole magnes)
Dilectam, amoveas licèt, usque recurrat ad Arcton.
Sin autem magnete duos perstringat eodem
Cura stylos similes, simili conamine motum
Concipient extemplo agilem: Justoque tenore
Pervolitant gyrosque pares, punctoque pari stant.
His tabulas suppone duas, queis margine sese
Ostendent elementa, suis diversa figuris;
Extremam donec signis compleveris oram.
Tum voces fingi egregias, tum mille videbis
Verborum simulachra modis variantia miris.
Nam quot diversas signat revolubilis Index
Litterulas, totidem reddit fidissimus Alter.
Non adeò distincta refert sua verba canenti
Per sacros nemorum saltus resonabilis Echo,
Sed quæ diffugiunt turbantibus irrita ventis.
HAC arte instructus, cui dudum crassior aure
Exclusit vocem cutis, atque obducta sonorum
Intercepit iter, naturæ damna rependat;
Auritisque oculis sermonem elinguis amici

Ac-

Accipiat; ſic fas inſueto ludere riſu,
Atque aliàs tacitæ ſuperaddere ſcommata menſæ.
HIS Fama auxiliis fallente per æthera pennâ
Radit iter tacitum, ſtrepituſque & ſtrata viarum
Plena viris temnens, in tutum credita portat.
HINC te, chare Puer, cujus mihi creſcit in horas
Sanctus Amor, quanquam ah! longè manus Invida ſortis
Te trahat, alloquiiſque neget propioribus uti;
Compellare licet, ſpatiiſque obſtantia clauſtra
Rumpere, & alternas audire & reddere voces.
Diſceſſurus habe tabulam, legeſque movendi
Percipe, tum pace implicitus, bellive tumultu,
Sæpe tamen verſo ſalvum te pollice narres.
At quoties notum ad tempus ſcitabere caſus
Fortunaſque meas, tabulæque oracula poſces,
Servabis ferri motum, quo tendere pergat,
Et quæ ſigna notet lapſu: ſin vox tibi quævis
Excidat, atque aciem male cauti fallat ocelli,
Tum labor effuſus, fruſtra ſudabis hiatum
Verborum ſupplere, & mancum evolvere ſenſum.
Sic quoties frondes inſcriptas fata Sibyllæ
Dextrâ luctantes diſcerpunt turbine venti,
Huc illuc fulvâ ſortes jactantur arenâ
Confuſæ, loca nec nôrunt in priſca reduci.
Quin etiam haud uno motu variabile ferrum
Induit affectus animi, atque imitamine docto
Reddere perſonæ ſcit convenientia cuique.
Nunc lento huc illuc greſſu in dextramque ſiniſtramque
Admotus, barbam ſapit, & conſulta loquentem.
At nunc en! rapido verſatilis impete cunctas
Litterulas iterum atque iterum enumerat maleſani
Proditor actoris —— quendam de plebe poëtam

Jurares factos repetentem ex tempore verſus.
Vix glomeratum adeò poteris dignoſcere ſenſum,
Atque indiſcretas ſine pausâ aut commate voces.
Jam dubio viden' ut libramine pendulus hæret,
In medio fluïtans, & balbutire videtur;
Haud ſecus ac gemitus & voces dimidiatas
Commiſcet, neſcitque loqui, quem numine vexat
Iracunda Venus, miſeroque fatigat amore?

JAM, pater, obde fores, & vectes vectibus adde,
Cuſtodes natæ, Hiſpano de more, ſeveras
Cautus anus adhibe, canibuſque armiſque mineris.
Hinc interdictis reſeratur Janua votis;
Ex longo veniunt queſtus, graphioque calores
Commiſſi ſuperant montes, & flumina trañant.

IPSA manu formoſa regens veſtigia ferri
Reſcribit juveni Thisbe, ſalvoque pudore
Reſpondet curis, & fidos æquat amores.
Hinc puer inſidias ſtruit, & dum conſcia Cypris
Annuit, en! pontes caliganteſque feneſtras
Ridens, e celſo demiſſam carcere currû
Aurato imponit; tum demum Auriga frementi
Pronus equo impendens curvata flagella minatur
Eminus; & Veneris petit irremeabile templum.

Cantabr. in Comitiis Prioribus, 1727-8.

VEGETATIO HALESIANA.

QUO pariat motu Tellus, unde auctus alatur
Fœtus, & ipſe novâ maturus prole graveſcat,
Auſpice Te, pandam, Arboreæ certiſſime gentis
Interpres, cui tota patent viridantia regna:
Semina Tu, ſuccoſque, & lætos Frondis amictus,
Monſtrabis, trepidamque, & tentantem ardua, Muſam,
Intima Naturæ circum penetralia duces.

CLAUSA igitur, medioque jacens in Semine, cunas
Infans Planta tenet, ſubituræ Stirpis imago;
Quæ, maturæ inſtar, per totum effuſa cubile
Parvula protendit, viſu necdum obvia, membra.
Hanc ſimul ac verno Tellus reſoluta calore
Foverit amplexu molli, innumeroque meatu
Pervia ſurgentem imbiberit Membrana vaporem:
Continuò in magnam incipiunt turgeſcere molem
Folliculi, & largo ſaturi ſe expandere potu.
Protinus e tepido erumpens *Radicula* clauſtro
Rimari humentes glebas, miſtaſque ſalinis
Sulphureas haurire, animataſque Aere vivo
Particulas: *Pluma* evolvi, ſurſumque moveri,
Dum liquor, indocilis claudi, ſete undique fundit,
Dilatatque fibras molles: tum Truncus in auras
Tollier invalidus; protrudi ductile Germen;
Inque dies ramis diffundi largior umbra.

ELICIT almum etenim Succum ſitibunda Tuborum
Congeries; tum præcipuè, ſi torrida Phœbi

Verbera radicem exagitent; rareſcere crebris
Ictibus Humores, celerique aſcendere curſu,
Mille canaliculis acti, per vaſcula mille.
Non tamen, ut retro vitale in Corpore flumen
Labitur, & verſo Cor ſæpius amne reviſit,
Hi quoque per Truncum ſimili torrente rotantur;
Sed, cava filorum ut ſuperant, Hos excipit amplo
Frons expanſa ſinu, & penetranti obnoxia Soli:
Jamque laceſſentes radii, flammaſque vibrantes,
Sollicitant; tenuis per aperta foramina ſudor
Evolat, elapſuſque leves vaneſcit in auras;
Utque alii abſcedunt, alios ſimul alma perenni
Sufficit officio Tellus, ac damna reponit.

A'T quanquam hinc omnem latè frondeſcere Sylvam
Cernimus, & motis ad ventum ludere ramis;
Sola tamen firmo perſtant illæſa virore,
Perpetuúmque Arbuſta vigent, quæ vivere parvo
Contenta exiguum accipiunt redduntque liquorem.
Parvo docta uti, & ſumptûs parciſſima Taxus:
Non illa amotos Phœbi deſiderat ignes,
Nil importunas hyemes, nil frigora curat;
Dant etenim lenti viſcoſo in cortice Succi
Temnere prædantes Cauros, frondemque perennem
Servare, & ramos ſemper lugubre virentes.
At proceram Ulmum, ac ſpatioſo vertice Quercum,
Humores avido licèt ebria ſorbeat hauſtu
Utraque, & ingentes foliis vomat uvida fluctus,
Ut primùm tamen Autumnus jam frigore tentat
Ancipiti; languent ægrâ flavedine Frondes;
Areſcens paulùm ramo malè fidus adhæret
Caulis; at inſurgit Boreas, nudataque jactans
Brachia diſperſos fruſtra gemit Arbor honores.

EN

EN autem! Ut miro Frondes rerum Optimus Author
Conſilio explicuit! Quantoſque inſtruxit in Uſus!
CUM primùm emiſſo diſpuncti germine rami
Parturiunt, fructûſque edunt promiſſa futuri,
Hæ teneram blando nutrices agmine prolem
Cingere, & adducto lactantes paſcere ſucco.
Quin nocturno etiam ſtillantes æthere rores
Præcipitant, ſalibuſque graves ac Sulphure fœti
Inſidunt Foliis: lapſos ſpiracula fugunt
Innumera, & pomis ductus per mille miniſtrant.
Hinc, ubi jam fructus paulum percoxerit ardor
Solis, & incipiunt crudi miteſcere ſucci;
Dulcis odoratos inter diffunditur hortos
Halitus; egregio pubentia poma ſapore
Luxuriant; ſuavi curvantur pondere rami:
Nequicquam patulâ Ficus ſub fronde laborat
Occultare caput tumidum: lanugine ſparſum
Cæruleâ livet Prunum; Ceraſuſque rubeſcit;
Et pellucentes pendent de Vite Racemi.
TU quoque, Flora, Tuos cultus, primoſque nitores
Frondibus acceptos referas: volitantia quando
Sulphura per cæcos foliorum illapſa meatus
Flori ſe inſinuant; variéque immiſta colores
Accendunt varios: hinc avia rura videmus
Purpureis ſpargi violis; hinc murice tinctum
Undantes inter ſegetes ardere Papaver.
Areaque innumeris errantia lumina fucis
Percellit: niveo ridet velatus amictu
Narciſſus, nitidoque aſtantia Lilia vultu
Provocat: ingenui ſuffundunt ora rubores
Veſtra, Roſæ: veſtra, Auriculæ, radiantis arenæ
Spargitur imbre coma: at quæ Te, Tulipa, tuoſque

Pingere tam varios audebit Muſa decores?
Seu folia oſtentas flavo pallentia tractu;
Sive cruentatis hinc inde interlita guttis;
Seu demum crines variatæ lucis honeſtat
Gratia confuſa, & radiorum ſplendidus Error:
Quâcunque effulges facie; Te Flora benignis
Aſpiciens oculis primo dignatur honore,
Plebeioſque Tibi jubet uſque aſſurgere flores.

C. G. *Coll. Nov. Soc.*

De Veneno Tarantulæ per Muſicen ſanato rectè philoſophatur MÆDIUS.

APPULIÆ in Terris, campos ubi findit hiantes
Æſtas torridior, totoque effervidus igne
Sirius, & regnant, clauſis aquilonibus, auſtri;
Exigua in campis memorant animalia paſſim
Errare, & tenues reptare in gramine formas;
Parvum, & turpe Pecus! Sed queis nec ſævior ulla
Peſtis & ira Deûm Stygiis ſeſe extulit undis.
His genus inſuetum tabi, miræque venenum
Indolis, infuſum; quod non herbæve ſalubres
Aut medicæ pepulêre manus, niſi carminis auræ
Lenirent ſimul, argutique potentia plectri.
JAMQUE ubi prima ſitim cœli collegerit aura,
Brumale hoſpitium penituſque effoſſa relinquens
Antra, redux lucem notaſque Tarantula ſedes
Inviſit, tepidiſque ſalit novus hoſpes in agris;

Innocuo

Innocuo lambens morſu; nec dira cicatrix
Jam metuenda Tibi, nec inanes vulnere dentes.
Donec longa dies, fervenſque & lethifer annus
Increpat hoſtiles animos; penituſque recluſum
Virus alit venis, totoſque effundit in artus.
Tum pede præcipiti per inexplorata Viator
Ne ruat incautus; *Viridi latet Anguis in herbâ.*

POSTQUAM collectæ vires, tumiduſque veneno
Spiritus intus agit; parat artes mille nocendi,
Nunc imâ ſe condit humo; nunc graminis herbam
Aſcenſu ſuperans, ſummique papaveris arce
Ardua, proſpectu longi vorat æquora campi;
Agricolis meditata dolos, ſi fortè propinquos
Dulcis amor ſegetis pecudumque invitat in agros.
Sæpe etiam in culmis fertur flaventis ariſtæ
Exeſis longo penitus latuiſſe receſſu;
Inde, ubi tondet agros meſſor, prenſatque ſecandas
Læta manus ſegetes raptim, potiturque ruinâ,
Evolat inſidiis; gracilique proboſcide lentum
Inſtillat virus, fœcundaque ſemina lethi.

HINC variæ peſtes, & plurima Mortis Imago.
Quà data porta, ruunt; eluſam inglorius artem
Flet medicus; vacuâque lues dominatur in aulâ.

DUM Tu, Phœbe, pater Medicinæ & Carminis idem,
Dulcis ades fidibuſque juvas, calamoque potenti
Ferrea crudelis reſerare repagula mortis,
Leniter inſpiras placidam per membra ſalutem.

QUARE age, Vipereum quibus aggrediare venenum
Viribus, expedias, nec dedigneris honores,
Muſa, referre tuos; blandi quæ gratia cantûs,
Quæque ſalutiferæ divina potentia chordæ.

ADSIT Apollineâ vocalem impellere nervum
Arte ſciens, varioſque exploret in ordine cantus,
Et paribus referat fidibus; nec protinus illum
Incepti pigeat vani, nec inutile plectrum
Negligat iratus, ſi immobilis audit inerſque
Hos atque hos æger numeros; ſed pleniùs artem
Intendat, varietque modos, volitetque per omnes
Impulſu facili chordas, citharamque fatiget.
Dum tandem morbo concordes reddere pulſus
Edidicit longo Citharœdus doctior uſu;
Extemplo arrectas ægri torpentis ad aures
Cognatus volvit ſonitus, paſſimque per artus
Inſinuat ſeſe, & membris penetrabilis errat.
Et jam per digitos videas migrare micantes,
Perque pedes dubios habilem percurrere motum.
Mox ubi collectum robur, plantæque valentes;
Paulatim in numerum motus componitur omnis.
Fila regunt facileſque pedes, artuſque ſequaces;
Quotque modos illa alternant variata, tot illi
Momentis paribus referunt, & paſſibus æquis.

AT ſi de juſto cantûs libramine aberrent
Devia fila parùm, diſcordantique tenore
Intempeſtivos ictus, alienaque reddant
Carmina; ibi effuſus labor omnis, & irrita cantûs
Gloria, denſantur reducis contagia morbi
Dilapſa, & toto tabum ſe corpore miſcet.

Cantabr. in Comitiis Poſterioribus, 1728.

Probat Deum Structura Humani corporis.

ARTIFICIS confessa manum, Pulcherrima Forma,
Numinis, & nulli Facies imitanda Prometheo,
Vos, versu aggredior. Vires mihi suffice dignas
Materiâ, o nostris dignate includere numen
Immistum membris, Hominisque assumere formam.
QUIN age, quem docuit demens Sapientia, cæcos
Confluxisse Atomos, & conglomerâsse figuram
Collisu hanc pulchram: totum circumspice corpus,
Fabrica si quid habet, quod forte refingere possis
In melius, quid particulæ quod tollere cures,
Aut alibi sociata locis disponere Membra.
AC primùm erectum, & sublimem ad Sidera Vultum
Suspicias, summâque oculos velut Arce locatos.
Hîc sese variæ Species, simulachraque rerum
Externa insinuant, ultróque illapsa cerebrum
Pertentant celeri pulsu; Penetralia sedem
Haud timeam hæc dixisse Animæ, se terminat omnis
Scilicet hîc sensus; tactusque minutilus ipsis
Illatus, ratione animam, vel corpore prorsus
Excutit; at miro coeunt Munimine circùm
Ossibus implicita ossa; atque indentata tenaci
Ad morem serræ nexu sutura, duplexque
Membrana includit, nequa aut contingere possint,
Molirive moram famulantibus obvia nervis.

Quin

Quin Oculum (neque enim ſummi manifeſtior uſquam
Artificis divina patet Manus) aſpice natum
Proſpectum petere, inſtanteſque avertere caſus.
Ut Veneres taceam — (uſque adeo plorabile Vatum
Eliquat has Genus, *Eoiſque ſimillima gemmis*
Lumina ſideribuſque, ignitaque ſpicula cantat.)
In formam ſphæræ, modicoque umbone rotundas
Conſtituit partes triplex pellucidus humor;
Quem circum fibris coeuntibus undique ſepit
Membrana innumeris, nullo ſuffuſa colore:
Scilicet hinc cautum, ne conſpurcata referret
Singula quæque oculus, Speciesve involveret umbrâ.
Haud ſecus ac tinctum, appoſitumque ad Lumina vitrum
Omnia nigranti circùm ferrugine veſtit.
At veluti, obſcurâ in Camerâ, cui vitreus Umbo
Inſeritur valvis: Cœlum, Mare, Nubila, Tellus,
Quicquid ubique vides, illabitur; inque Tabellâ
Pingitur exiguâ color, & ſua cuique figura:
Sic Oculus ſpecies rerum quaſcunque cerebri
Exceptas reddit penetralibus, omniaque infert
Diſcreta, & verâ deſignat imagine formas.
SED viden'! ut ſeſe conchâ formata capaci
Auricula expandit, modicoque pateſcit hiatu,
Inferre ut poſſit, longoque foramine ductos
Accelerare ſonos, & euntibus addere vires:
Extremum membrana obducto tegmine veſtit
(Tympana dixerunt Phyſici) vibrataque motu
Aëris Impulſum tremulo capit: oſſa locantur
Exigua hinc illinc, laxatam intendere docta
Membranam, inque ſonos tenues augere Suſurros.
Ponè ſubit fornix multus, multoque cavatus
Anfractu, aëris innati loca fœta, parata

Inge-

Ingeminare ſonos, fidiſque illidere nervis
Senſifero cerebri ferientibus intima motu.
Hinc eſt, dum taciti pendemus ab ore loquentis,
Quòd rapuit, mentemque intorti fulminis inſtar
Percuſſit SUBLIME. Hinc, dum ſuperambulat ictu
Divino chordas pollex, inflataque cantus
Tibia depromit dulces, quòd gaudia Cœli
Prælibamus, & optatas præſumimus Horas.
QUIS Nares, & quæ ſibi vendicet organa Guſtus,
Quis Nervos, tactûs celeres fidoſque miniſtros
Immotus videat? Quis Membris membra ligata,
Flexilibus nexa articulis, atque oſſibus intus
Firmata incluſis; Stomachoque ingeſta ſubire
Tot varias alimenta vices, & fungier ultro
Certis vaſa Miniſteriis, ſine Numine, credat?
Quis, dum continuo cor pulſitat ilia motu
Illæſum, nulloque ſuî molimine Sanguis
Itque reditque viam toties, iteratque per orbem
Curſus perpetuum, veniſque infundere ſuccos
Vitales tendit; Quiſnam Veſtigia ſummi
Artificis neget, & nullâ formidine ſpectet?

Cantabr. in Comitiis Prioribus, 1728-9.

HALESIUS

Rectè ſtatuit de Vegetatione.

VOS, quibus arboreos truncos, florumque puſillas
Radices habitare placet, myſteria veſtro
Pandite cultori: Vobis præbentibus, almæ
Pratorum nemorumque Deæ cuſtodia, lumen,
Intima qui reſerant Naturæ arcana, negatam
Humanis oculis ſcenam, ſub ſemine Quercûs
Effigiem latitare ſuo, ſimulataque magnis
Robora, & infantes perhibent frondeſcere ramos.

INDUCTI his ſignis, atque hæc exempla ſecuti,
Dixêre arboreos paulatim creſcere fœtus
Corporis in morem humani, nutricis amicas
Tellurem præſtare vices, gremioque receptis
Inſpirare ſuos per mille foramina ſuccos;
Hinc tandem anguſto rumpunt de carcere, largo
Inflati laticum potu, retinac'la deorſum
Figit humo radix, dias in luminis oras
Emicat elicitum geniali ſole cacumen.

AT ne immaturi pereant morbove fameve,
Veſtibulum ante ipſum, primoque in limine vitæ,
Diſpoſuit varios circùm Natura meatus,
Queis liquor acceptus per tenuia membra feratur,
Almaque per totam manent nutrimina molem.
Multaque per frondes ſpiracula dididit, unde
Secretæ exſudent fæces, & inutilis humor.

ERGO,

ERGO, ubi ſiccatis incumbit Sirius arvis,
Arboribuſque ſatiſque lues, & lacteus humor
Deficit altricem terram, ramoſque per omnes
Tabida ſtagnantes ſpargunt contagia fæces,
Aut linquunt dulces animas, aut corpora cultu
Orbantur, morbi lento peritura veneno:
Ergo per lucos vox exaudita colonos
Terret, & ex imis Dryadum ſuſpiria truncis.
Succumbit morti myrtus, ſuccumbit oliva,
Hæc quamvìs cura eſt Cythereæ, Palladis illa.
Te funeſta iterum Phœbi vicinia, Daphne,
Perdit amatoris, te non tolerabilis ardor.
Tu quoque nudatus croceo, Narciſſe, colore,
Indigus humorum langueſcis, nec tibi prodeſt
Cephiſon liquidis olim genuiſſe ſub undis.
Te quoque Sol, Clytie, quondam pulcherrima nympha,
Perſequitur radiis, vulgatos ultus amores:
Nec, quanquam ad Divum ſemper convertere multùm
Viſa queri, oblatos queſtus tractabilis audit.
Uſque adeo ſævit veteris non immemor iræ
In florum fruticumque genus Proſerpina (quos dum
Per ſuaves Hennæ valles ſtudioſa legebat,
Infernos non vidit equos) animaſque ſub orco
Poſcit adhuc mittenda piacula, nec prece mollit
Amiſſura ſuos tellus Memphitica Divos.
AT quoties crebro deſcendit Jupiter imbre,
Fœcundaturus bibulam pinguedine terram,
Inque ſalutiferas fæci datur exitus auras,
Sylvarum frondeſcit honos, variiſque colorum
Naturâ pictrice nitet Gens florea fucis;
Ruraque perpetuâ rident animata ſalute.

ERGO

ERGO ubi vere novo tepido mollita liquore
Arva ſinus laxaverunt, Phœbique calore
Accelerata fluunt auctо nutrimina motu,
Tum ramos frondes properant veſtire novellæ,
Certatimque ſibi tenues arceſſere vitas.
Tum florum Zephyri confiſa tepentibus auris
Spernit humo ulterius condi formoſa caterva,
Quos redolere docet, quos & ſplendeſcere Phœbus,
Acceptos chymicâ mutans virtute liquores.
Ambroſiam paſſim ſpirat Panchaïa, paſſim
Funditur omnigenis variata coloribus Iris.
Tunc quoque truduntur gravido de palmite gemmæ
Munitæ foliis, ne qua vis ignea Solis
Conſundat fragiles formas, vitaſque tenellas.

AT quâ vi florum varios impertit odores,
Fucoſque omnigenos Phœbeïus imprimit ardor;
Cur roſa virgineo vultu ſimulata ruborem
Sanguineum expandit, dum non imitabile pallet
Lilium, & ornatu decoratum ſimplice gaudet;
Quâ vi diverſos fruges didicêre ſapores
Edere, & humano variis placuiſſe palato
Deliciis, ſimilis nutritæ aſpergine roris;
Indole cur Planta egregiâ, cui prodiga nervos
Senſibiles Natura dedit, vireſque movendi
Cognatam ſupra gentem, perterrita tactum
Effugit exultim, trepidanſque repente recurrit;
Cur ea vis uni huic, cur tanta ſuperbia; Vobis,
Cuſtodes nemorum, Dryades, cognoſcere ſolis
(Sic ſuperi voluêre) datur: Penetralia veſtra
Abſit ut ingrediar, ne Vos, Eriſichthonis inſtar,
Commoveam, ſacros auſus violare receſſus.

In Comitiis Prioribus Feb. 20. 1728-9.

Dantur

Dantur Ideæ phantaſticæ.

DISSIMILES formas, ſimulachra immania rerum,
Muſa, velim, referas; genialis mira cerebri
Ludibria, atque animi fingentis mille chimæras.
QUA ſeſe attollit, formâ pulcherrima, moles,
Et, ſuper arva *Mori* de nomine dicta, decoros
Oſtendens muros, auguſtâ fronte ſuperbit;
Urbi grande decus! Sæva hìc Inſania ſedem
Occupat; &, latè domitrix, penetralia circum
Expatiata furit; crebri tolluntur ubique
Clamores, fremituſque, atque ingentes ululatus.
His mihi nunc intus fas ſit ſuccedere tectis,
Exiguos luſtrare lares, &, luce feneſtram
Per tenuem admiſsâ, lymphatam inviſere turbam,
Bacchantemque animo, & lævâ ratione furentem.
EN! qui pannoſas expandens undique veſtes,
Torva tuens, trahit, & faſtu turgeſcit inani.
(Haud, longo verrens porrectam ſyrmate terram,
Grandiùs ingreditur Cæſar, cui ſura coruſcans
Altior inſurgit, tragico devincta cothurno.)
Olli, per nebulas, ſpatioſa per æquora Cœli,
Et quacunque tuos peragis, vaga Cynthia, curſus,
Tenditur imperium. Agnoſcunt moderamina ſceptri
Plurimus aëreus princeps; &, dona ferentes
Magnifica, ante pedes capitum decora alta reponunt.
Interea hic, tali pompâ & ſplendore ſuperbus,

Mente

Mente tumet magnâ, & vacuâ dominatur in aulâ.
QUIS, jam indignanti ſimilis multúmque minanti,
Ore fremit, vanoque obtundit verbere muros?
Magnanimum agnoſco, ſe Equitum qui ſanguine claro
Deductum jactat, centumque e ſtemmate longo
Heroas numerat; bello quibus inclyta & armis
Fama fuit, quorum nitidis cecidêre ſub haſtis
Flammivomique angues, & centimani Centauri.
Ille, animo recolens tantorum inſignia avorum,
Æmulus inflatur; tranare inglorius ævum
Indignatur atrox, magnumque citò arripit enſem,
Caſſidaque, umbonemque; ardens fulgere ſub armis
Vulnus amat, poſcitque hoſtem, pugnamque laceſſit.
QUO, miſerande, fugis? (tua me infortunia tangunt)
Cujus opes ſociâ fractæ periêre ruinâ;
Cùm, ferè demerſam exitio dans undique gentem,
Sæviit Angliacis violentior Auſter in oris.
Quæ tibi nunc animo triſtiſſima ſcena gementi
Panditur, infelix? furiis agitata tremendis
Iracunda ſubit conjux, ſævúmque micantes
Lumina contorquens flammas imitata, mariti
Funeſtos caſus (opus heu! lachrymabile ſortis
Adverſæ) gravis objurgat; fœtuſque gemellos
Ubere alens, fidi chariſſima pignora lecti,
Porrigit e gremio; oſtendens veſtigia mortis
Nota nimis! quà dira fames ſuper ora vagantem
Pallorem obducit; corpuſculaque horrida ſenſim
Attenuans, miſeros morſu depaſcitur artus.
Ille autem oppreſſus tantorum mole malorum
Ingemit; uxoris nec iniquæ opprobria paſſus,
Adventum fugit, & tenebris ſe condere tentat:
Uſque inſtat tamen umbra, & vivâ major imago.

QUIN

QUIN jam longè alios variata Inſania vultus
Induit; & paſſim laſciva puella jocatur
Improbè, amatores nimiúmque, ferocula, ludit.
HINC juvenis fervens, flammam, ignes, tela, pharetras
Somniat; incumbitque operi, cerebroque laborat.
Tandem vix, pinguis proles operoſa Minervæ,
Elicitur carmen miſerabile; protinus ardens
Dimittit dominæ pergratum munus: at illa
Abjicit irata, & rapidis jubet ignibus uri.
ILLINC alter amans, depictam in veſte decorâ
Phyllidis admiratus avem, veneratur honore
Pronus; & ardentes pullo teſtatus amores,
Oſcula libatum cupit ire: at nympha recedit
Lubrica, nec patitur labris contingere veſtem.
Inde acres luctus dulciſque odia aſpera vitæ
Mentibus inſurgunt; furiis agitantibus actus
Sævit uterque ferox; ſubitóque evellitur enſis:
Funus amant, pulchramque petunt per vulnera mortem.
QUARE agite, O Grantæ nitidiſſima turba, puellæ:
Aurea purpureis quarum jam gratia malis
Intemerata nitet; nec adhuc, inimica decoris
Vultibus, auſa ætas nitidos violare lepores.
Ne vos, pervigiles curas, & vota procorum,
Altaque pectoribus ſuſpiria ducta ſub imis,
Temnatis, nimiùm crudeles: quippe, repulſis
Ignibus, acta furore caterva inſæviat amens;
Haſque inter fortaſſe, miſerrimus incola, ſedes
Lugeat abjectaſque faces, ſpretaſque Camœnas.

Cantabr. in Comitiis Poſterioribus, 1729-30.

Humana voluntas nec anxietate, nec ſupremo Intellectûs Judicio, nec alio quovis ab extra determinatur.

COELESTES animi, Fatiſque avulſa Voluntas,
Et quæ corpoream, totos infuſa per Artus,
Mens agitat molem, & nullo cogente movetur,
Muſam haud invitam rapiunt: namque Ipſa volenti
Carmine gaudet ovans, ultroque ad Sidera nitens
Cognatam agnoſcit mentem; nec Muſa, nec Ipſa
Mens cogi potis eſt, proprios ſimul utraque motus
Sponte ſuâ exercent, indignanturque teneri.
ERGO age! Mortales animas terrenáque vinc'la
Excutias primùm veterumque inſomnia Vatum
Securè irridens, cœleſtes aſſere dotes,
Pulveris, abjectæque exortes Materiâi.
Nam neque in Arbitrium declinant corpora, recto
Limite deſerto, nec pulſu devius Error
Impellens atomorum ad agendum pectora cogit:
Quod Nervos agitet, non quidquam intrinſecus intrat,
Nec Mens æquato librata examine pendet
Sollicita, ut maneat depreſsâ pondere Lance
Tollier, inque novos exultim ſurgere motus.
Velle ſuum cuique eſt; Divinitus hauſta Voluntas
Quemque agitat, proprioque Deus dedit impete ferri.
Ni faceret; Maria, ac Terras, Cœlumque profundum
Miſceat Impietas, Virtuſque evanida Terras
Deſerat,

Deſerat, ac veluti ipſa foret ſubtilior Aurâ,
In tenues fugiens Ventos dilapſa feratur:
Non ulla uberior, quàm quæ de fonte perenni
Fatorum effluxit, Vitiorum Copia manat,
Latior aut unquam patuit Sinus ———

HINC, ſiqua infelix, tenerâ de Virgine Mater
Jam facta improbula eſt, pueroque beata creando
Heu nimiùm properat! crudelia Sidera damnat
Stelliſque oblatam fraudem, zonamque ſolutam
Imputat, ipſa ſibi nullius conſcia Culpæ.
Quid faceret? Olli eſt prorſus ſubducta Voluntas
Libera, quâ ſubito dulcique reſiſtere damno
Evaleat; Pueri ardentis juvenilior ætas
Atque amor impulerant — & inexorabile Fatum.

HINC tenues linquit prædas, facilemque rapinam
Negligit aſpernans Latro; ſecura ſub imo
Aurea dormitant loculo, ſublimius audet
Attentâſſe ſcelus, furtoque triumphat aperto.
Unde etenim poterit fatali Numine ductas
Abſtinuiſſe manus? Prædas invitus ademptas
Convectat, vivitque heu! nolens vivere rapto.

NON levis Ambitio, perfuſaque Gloria ſuco
In cædes & bella Ducem; Dominantia Menti
Fila trahunt, dextramque rapit feralis Enyo.
Hinc deſolatos ferro populabitur agros
Securè, gaudenſque viam feciſſe ruinâ
Magnifico perget ſceleri prætendere Parcas.

QUAM fluxæ ſortes Hominum, ſi nulla Voluntas
Contingat miſeris! Ferimur, cæcoque tumultu
Vadimus impulſi curſum per opaca locorum;
Non agimus, agimur, quoties vult ſæva jocari
Fortuna, Humaniſque minax illudere rebus.

Non

Non aliter raptus, viridantis in Æquore Campi
Evolat orbiculus, cui vis infusa Metalli
Inceptum certo determinat impete cursum
Inclinans, prohibetque suo procedere motu.
Frustra Virtutem cupias extendere factis,
Non patet in laudes spatium; meruisse negatur,
Teque inhonestus Honor, Virtusque ingloria raptat.
Non proprias Vires agitas, sed, ut incita Moles,
Duceris, aut volucris nervo stridente Sagitta,
Quæ volat ad certam propulsa per Aëra Metam.
LIGNEA in exiguis sic quà Plebecula Scenis
Saltitat, expresso nostros imitamine gestus
Succisus duris exercet *Homuncio* Sylvis,
Aut trunco arboreo natus, quem proxima sepes
Submisit, facilique indulsit fingere Torno.
Hunc Populus spectans, mediam consurgere in Ulnam
Miratur, patuloque animum defixus hiatu
Exiguum stupet Heroem; ut vestigia presso
Confirmet passu, mollique ut membra rotatu
Torqueat, aut laxet facilem in Convitia linguam!
Immerito: nulli tunicato stipiti Honores
Debentur; Motu famulatur Dextra latenti
Machinæ, & occultæ Vires versatile pondus
Gressusque invitos vario sinuamine flectunt,
Alteraque exiguæ servit vox mimica Voci.

Cantabr. Jul. 6, 1730. *in Vesp. Comit.*

Iridis Phænomena ſolvuntur ex diversâ Radiorum Refrangibilitate.

AETHERA ſignatum commiſtæ Aſpergine Lucis
Muſa refert, alto ſuſpenſamque Irida Cœlo.
Phœbe, mihi cauſas memores, Tu Luminis Author,
Vel Tu, Reginæ Divûm quæ nuncia, eandem
Iſque rediſque viam toties, Thaumantias, adſis;
Unde fidele Jubar greſſus comitatur euntis,
Splendidaque effigies impreſſa ſequacibus Undis?
IMMINET Heſperiis cùm Sol proclivior oris,
Præcipitatque viam, ſuffundens igne rubentes
Obliquo nubes; alti Laquearia Cœli
Luce repercuſsâ, & læto fulgore coruſcant.
PLURIMA tum roris tenuis, leviumque Vaporum
Semina, (Quæ Phœbi vigor igneus eripit auræ)
Quà denſis coeunt alis ſocialeque jungunt
Agmen, ibi preſſæ nimiâ gravitate reſolvunt
Prægnantes Alvos nebulæ, prorumpit aquæ vis,
Quà data Porta; — ſinu patefacto plurima gutta
Certatim ruit, ac undis impellitur unda,
Quam citò labentem tranſverſo intercipit ictu
Phœbus; at interea laſciva, tepeſcere gaudens
Lympha jubar celeri geſtit perrumpere lapſu,
Impediens Radios Radiis; ut Pecten eburnus
Tranat fila, cito telamque interplicat ictu.
Hinc oritur lucis non enarrabile textum;

Undique

Undique diffuſo hinc cœlum ſplendore refulget.
PHOEBUS enim pluvias fœcundo ſemine flammæ
Commiſcens, multâque imprægnans luce, per auras
Splendida roriferas fingit Miracula rerum;
Quacunque objectos Radios conceperit unda,
Semita clareſcens convexo circinat Arcu
Nubes, inſequitur tum dulcis Scena, colorum
Tum confuſus honos, & non imitabile Lumen.
MIMICA quot ſpecies mentitur lana colorum,
Seu formæ ſtudioſa cohors quot ſyrmate pandit,
Una tot Iris habet, miro ſplendore coronans
Æthera perfuſum mixtæ farragine Lucis.
AC ne Parrahaſiâ ſe victam lugeat arte,
Orbibus inſinuans Orbes curvamine Cœlum
Deſignat vario. Violæ contermina fuſcæ
Infima Phœniceo ſignatur tramite Nubes.
Interiore ſinu radiatæ copia Lucis
Junctură ambiguâ, ac tenui diſcrimine fulget,
Humanamque aciem confinia fallere ſueta
Splendoris dubii; gratus ſpectantibus Error.
Cœrulus impoſitam ſecernit Jaſpida fluctus;
Tum ſinus exterior fulgenti ſublitus auro
Cernitur, & flavo reſplendent nubila Circ'lo.
Credas ſecurum, quid furti conſcia Juno
Sentit, ſæpe Jovem tritâ regione viarum
Divite jam pluviâ, & falſo delabier auro.
Gyrus at extremus ſummam qui circuit Æthram,
Grande coronat opus flammas imitante Pyropo.
LUMINE compoſito ſimplex ſic nubibus Iris
Pendens irradiat cœli convexa; colorum
Nymphis gratus honos; virides ſimulare Napæas
Seu cupiant; paſſove inſignem Dorida crine
Cæruleam:

Cæruleam: malint peregrino tingier oſtro
Vultus; an placeat fluitantia Carbaſa, fuci
Prodiga multigeni levibus committere ventis.
NEC ſatis eſt mirari arcu ſpectabile cœlum,
Plurima quippe arbos fulvo frondere Metallo
Viſa, ac auratos latè diffundere ramos:
Præterea irriguos tepido Jove ſuave nitentes
Cernere fas, dibaphos reflexâque Iride flores.
INVIDUS aſt tendit ſimul ac abſcondere lumen
Cynthius, aut vires notas non amplius Æther
Sufficit exhauſtus; ſenſim rareſcere ſplendor
Incipit, aut cornu fractus mox cernitur uno,
Et vacuas arcus tandem decreſcit in auras.
SIC agili dextrâ dum Nympha eventilat auram,
Explicat omnigeno fucoque inſigne flabellum,
Cui ſummas varius Mæander circuit oras;
Ingenioſus amans cœleſtem imitarier arcum
Jactat, & accenſos vultûs ſplendore colores
Apparere novos, perituros ſole remoto.
At ſi ſævitiâ facili detorſerit ora,
Aut nubi occiduos vultus ſummiſerit, Illi
Omnis abit decor, & furvus circumvolat horror.

Cantabr. Jul. 6. 1730. *in Veſp. Comit.*

Aſcenſus & Deſcenſus Mercurii in Barometro pendent ex gravitate Aëris & Vi ejus elaſticâ.

QUID moveat tubulis argenti fuſile pondus
Impulſu vario, refluas cur unda metalli
Sæpe vices ſubeat diuturnæ inimica quieti,
Dicere ſert animus. Rerum cognoſcere cauſas,
Occultoſque placet veri penetrare receſſus.

ERGO age, ſi ſumas vitrum, cui excluditur aër,
Et ſtagnum argenti fundo ſubſidat in imo,
Protinus aëreis agitatum viribus intus
Mercurium tolli cernes, dum pondus adæquet
Urgentis fluidi; dein quali prægravet aër
Impete, ſic tubuli per ſumma, per ima, liquorem
Conſpicies ferri, vitreoque errare canali.

TEMPERIEM hinc cœli variam, & mutabile pondus
Aëris invenies; quo blandos tempore ventos,
Quo Boream expectes, pluviales æthere nubes,
Venturaſque hyemes, oſtendet mobilis Index.

NEVE puellarum timeat pulcherrima turba
Inſolitis ſtudiis verſari, arcanáque rerum
Diſcere, nam fidis monſtrabit Machina ſignis,
Quo deceat cœlo craſſi velamina panni
Induere utcunque invitas; quandoque licebit
Fatales nimiùm veneres expromere, pictis
Veſtibus ornari, rutiloque effulgere in auro.

ERGO ubi deſcendens æſtate argenteus humor
Fundum amat, impatiens pluviæ, metuenſque procellam
Suſpecti

Suſpecti tibi ſint imbres; nam lumine ſolis
Cœleſtes oræ incipiunt rareſcere, donec
Aera denſati ſuperent gravitate vapores,
Et piceas glomerent nubes; tum noctis imago
Ingruit, & tenebrarum horror; ruit agmen aquarum
Undique, ſurgenteſque fatigat pondere ariſtas.

SI fluidum aëreum nebulas ſublime volantes
Suſtentans juſto libramine fortiùs undam
Mercurii ſurſum impellat; placidiſſima cœli
Tum facies, jucunda dies, innubilus æther;
Omnia Phœbeo curru recreata fatentur
Æſtatem, ridetque novo Natura decore.

SIN nimis oppreſſum contendat ad ardua vitri
Argentum, tum pars inſtat ſerventior anni
Virgineis nocitura genis, tum nubibus ignes
Terrifici exiliunt, terræ ſpiracla dehiſcunt,
Aridaque exhauſto langueſcunt prata virore.

QUINETIAM hyberni vultus & tempora cœli
Indicat interpres, præſagaque lympha futuri.

NAMQUE ubi bacchetur duræ inclementia Brumæ,
Aeris & pigrâ frigentis mole laborans
Immodicùm liquor aſcendat; mox omnia cano
Horrebunt ſolidata gelu; maris ipſe coactus
Regnator propriis patietur vincula regnis.

SÆPE etiam rauco luctantes murmure venti
Nutantes agitant ramos, inimicáque volvunt
Flamina; ſternuntur quercus, latéque ruina
Spargitur; interea mole incumbente levatum
Mercurium lapſu tubuli petere ima videbis;
Quippe aër celeri percurrens impete terras,
Vix lambit, tenuique impellit pondere vitrum.

SIC ubi ſtricta ſilent, curſus oblita priores,
Flumina; mox puerorum ad ripas æmula turba
Irruit exultans, & curſu concita fluctus
Perſtingit vitreos; lævis tamen area nullis
Infirmata manet rimis; Illi agmine longo
Marmoreum ſulcant callem, luduntque per undas.
Sin fixis inſtans plantis immotaque rivos
Turba premat, mox tota gemit, multoque fatiſcit
Vulnere planities glacialis; protinus unda
Claudier indignans, quà ſit data porta ruenti,
Ebullit, totuſque exundat flumine campus.

Idea Spiritûs non eſt æquè clara ac Idea Corporis.

DUM Mens alma caput cerebrique palatia celſa
Occupat, & famulos ſublimis dirigit artus,
Et facili imperio nervorum flectit habenas;
Illius ad nutum Senſus extranea rerum
Explorant ſigna, & ſtudio exemplaria ſido
Ad dominam adducunt; vel qui ſtatione locantur
Vicinâ, capitiſque tuentur limina, Ocelli,
Nareſque Auriculæque, & vis arguta Palati:
Vel qui per totam currit ſparſo agmine molem
Tactus, ad extremas ſpeculator Corporis oras.
HIS ſenſim auxiliis inſtructa fidelibus olim
Mens humilis, nullóque jacens ingloria cultu
Carceris in tenebris, mox ſeſe attollit in auras,
Dives opum variarum, & ſidera ſcandit Olympi:

Scandit

Scandit tuta ſatis, dum præceptoribus iſtis
Auſcultare velit; quòd ſi confinia tranſit
Corporea, & ſpretis longè cuſtodibus, umbras
Inſequitur tenues & non tractabile cœlum,
Infelix cadit, & deluditur impare captu.
NAM quia corporeis ſibi prima exordia rebus
Notitiæ deduxit, in has revoluta figuras
Omnia dein animi ſimulachra neceſſe recurrant.
Exin Semidei bipedumque caterva Deorum
Conſtipare polum, barbatáque numina paſſim,
Ridiculæ viſu formæ & cœleſtia monſtra.
Mavortem facilè agnoſces: en fronte minaci
Sanguineis manibus patet, inceſſúque ſuperbo:
Atque armata Jovis ſurgens de vertice Pallas
Humani prodit genus ex incude cerebri.
Uſque adeo ætherias mens impar prendere formas
Deterit indignâ, quos pingit, imagine Divos.
SIC Venerem quondam calamis aggreſſus Apelles
Pingere, decerptis formæ melioris ubique
Deliciis cumulat ſurgentem ante ora figuram:
Surripit hinc ſuram teretem, roſeum inde labellum,
Alterius Nymphæ furatur eburnea colla,
Cæſariem alterius; tum geſtus mille decoros,
Et vivos oculorum ignes, tum lucida jungit
Spicula, & ex omni collectos Hellade riſus.
Inſtitui cœpit Numen, mortalis at exit
Fœmina, próque Deâ Phyllis vel Celia Cyprum
Imperio regit, & Paphias ſibi vendicat aras.
HACTENUS ingeniis ſeſe ſubmittere noſtris
Cœleſtes odêre animæ, longéque fugaces
Fœda recusârunt hominis commercia manes.
Ignotum ſolus meditando ſubjicit orbem

LOCKIUS: Ille Deos clarâ ſub luce videndos
Protulit, aëreoſque ſibi conjunxit amicos.
Nota magis nulli domus eſt ſua, quàm fuit Illi
Tota cohors animarum, & mentis inania regna.
NOS miſeri, quibus hæc Scotorum propria virtus
Non datur! exiles quando circùm undique ludunt
Mille animæ, miſcentque viris: neque cernitur ulli
Importuna cohors, aut ſe tangentibus offert.
AT cui tam miros Natura indulſit ocellos,
Circumſtare animas dextrâ lævâque frequentes
Miratur, nullâque viam monſtrante Sibyllâ
Defunctis fruitur ſociis; vetereſque parentes
Ordine conſurgunt, & avi numerantur avorum.
INVIDET interea nobis hæc munera tardi
Pauperies animi, & contractæ mentis egeſtas.
Nec ſentit Belinda levem ſortita cohortem
Aëreumque Satellitium, Divoſque miniſtros.
Inſcia nimirum, quo defendente protervi
Compoſitos metuunt venti violare capillos:
Cujus ope, ad talos juſtâ defluxerit imos
Lege, laboratæ concinna ſuperbia Veſtis.
Dum grato Genius cœleſtiáque agmina circùm
Invigilant operi, immeritas Ancillula grates
Mortalis tulit, atque alienos Phyllis honores.

Cantabr. Jul. 7. 1730. *in Dic Comit.*

IGNIS FATUUS.

GRAMINEOS infra campos, penetralia Floræ
Purpureis opibus redolentia, fumeus Aër
Caligat; varios hîc tellus ubere partu
Flammarum ponit fœtus, & pinguia venis
Nutrimenta fovet, genitalia semina rerum.
Quæ postquam matris dudum sopita silenti
Incubuêre sinu, quoties Titanius ardor
Sævit in æstivas luces, patefacta sub auras
Reddit humus: pars æthereâ regione viarum
Exspatiatur ovans; Levitas sua sufficit alas.
Pars ignava tenet terræ confinia, sese
Insinuans inter nocturnos undique rores.
Et jam, seu calidis pugnent humentia, vires
Sive bitumineæ rapiant incendia, flamma
Exilit, & vivos imitatur ludicra motus.
ASPICE! cùm rebus Nox abstulit atra colorem,
Fusus ad irriguas ripas micat igneus humor,
Mobilitate vigens, & eundo flumina verrit
Summa levis, liquidisque sororibus oscula libat.
JAM varios meditans excursus ocyus Furo
Ardet abire fugâ per inane volatile Lumen.
Stare loco nescit, salientsque per omnia puncto
Temporis itque reditque vagans sine corpore Vita.
HINC sæpe, obscœnos iterat dum Noctua cantus,
Nigrantes inter tenebras prope limina Divûm
Tristibus insultat Lux importuna sepulchris.

Ægros huc greſſus ſi fortè advertat anus quæ,
Igneolos cernit lemures, ſimulachraque mille
Horret inops animi, ſtolidi figmenta timoris.
Jamque adeo latè fabellam ſpargit anilem
Fama volans, trepidat mentes ignobile vulgus.
Scilicet hîc animæ tenues, defunctáque vitâ
Corpora, ſubſiliunt obſcurâ nocte per umbram.
Seu Libitina fero viſu ſua regna pererrat,
Et tumulos numerans lugubres, horrida quaſſat
Funebres tædas & formidabile lumen.

QUIN & mille dolos volvens ſub pectore Flamma
Avia pervolitat, quam cæcâ nocte viator
Deprenſus ſectatur ovans; quid cogitet Ignis
Neſcius heu! Fax ante volans per opaca locorum
Errabunda regit veſtigia, perfida tandem
Deſerit immerſum ſtagno ſqualente Colonum
Eructantem iras, hirſutáque col'a madentem.

TALEM flumineæ quondam riſêre Sorores
Pana Deum Arcadiæ, taciti Ladonis ad amnem;
Scilicet Hic Nympham captans juvenile micantem,
Oſcula dum peteret, mediis effuſus in undis
Virgine pro tenerâ fœdam complectitur ulvam.

AST ubi jam Phœbi radiis Aurora rubeſcit
Pulchrior, & ſtellis acies obtuſa videtur,
Purpureo ſuperata die caput abdit Imago,
Et procul in tenues it Vita minutula ventos.

HAUD ſecus ignaros duxit *Carteſius* olim
Philoſophos, rapiens deſerta per ardua cæcæ
Naturæ; demum NEWTONUS luce coruſcans
Eoâ, mundique ſagax arcana tueri,
Materiam pepulit *ſubtilem*, egitque ſub umbras.

Cantabr. in Comitiis Prioribus, 1730-1.

HY-

*HYDRASPIS.

FLUMINA calcantes ſoleas, aptoſque cothurnos,
Et lateri affixam ſine conto & remige Cymbam,
Phœbe, canas oro: Faveas, Neptune, natanti,
Dum liquidis ſuccedit Aquaticus incola regnis;
Amphibiumque animal tranare Pedalibus undam
Incipit: haud ſola eſt levitas miranda Camillæ.
Si verò archetypi Vectoris Machina fluctu
Enatet incolumis, nec Vates decidat auſis,
Barbiton Hic templis, Alter cum veſte Carinam
Suſpendet, placidis Munuſcula debita Divis.
NUNC age, quæ tremulo fluitent ſinuamine lymphæ,
Pendula ligna pares; truncóque exciſa cavatum
Capſula, circumdans hominem, formetur in Orbem:
Hæc cautè Artificis ferrâ diviſa, moventes
Cardine vel pandat verſo, vel contrahat arcus;
Totaque, prægrandis ceu Balteus, ilia cingat.
Plantis quinetiam tabulas ex abiete ſectas
Necte memor; ne preſſa tamen veſtigia ſurſum
Nitantur, modici adjungas Libramina plumbi.
His circùm inſtructus leviter fluviatilibus Armis,
Cænotum fugiens callem, prærfractáque montis,
Per rivos, per ſtagna, per amnes vade, lacuſque:
Et pontem contemne Viator Aquatilis omnem.

---

* Vide Acta Erudit. 1691.

TUM quis Diluvii ſtragiſque inſtantis Aruſpex
Providus, undoſos Cymbam fabricabit in uſus,
Expectans hyemem: ſubitò deſcendit aquæ vis
E cœlo, terramque informi funere vaſtat;
Tota armenta ſimul, ſylvaſque homineſque domoſque
Corripit: Ille agilis circùm cingente Phaſelo
Sublimè invehitur, donec faſtigia tecti
Prenſet, vel celsâ ſedeat ſuper arbore tutus.
SED ſimul ac Vector ſecurus tranſeat amnem
Hybernum, motúque expertus & arte natandi,
Horrida ne metuat magni maris: ipſa timorem
Commoda diſcutient; nam rete plicatile tendet
Piſcibus, aut hamo turbam captabit hiantem;
Aut deludet aves vocalis in æquore Syren.
Quid ſi ſurgat hyems? nimirum ad littora curret,
Et Divi eripient faciles, Nymphæque marinæ.
Ecce autem rapidis tempeſtas concita ventis
Intonat a tergo, reditumque intercipit; oræ
Nec licet allabi peregrinæ, & quærere victum:
Fruſtra: namque cavâ concluſa Viatica portat
Capſulâ, & innocuis comeditque natatque procellis.
Fortè etiam rigidis armati dentibus hoſtes
Æquorei, Xiphiaſque, Sudiſque, aut Ærica malis
Carnivoris inſtant: Avium tum roſtra phalanges,
Ardeaque & Larus, pedibuſque Haliætus uncis
Deſuper infigunt; Plantas celerare fugaces
Vectorem jubeo; ceu, cùm delabitur alto
Turba Gruum, oſtendit tergum citò præpete curſu,
Strideníûmque fugit Bipedalis Homunculus ictum.
TALI fluctivago ſuſpenſus in Orbe, Leander
Soſpes ad optatum properâſſet limen Amicæ,
Contemptor nimborum: Et Hydraſpide vecta per undas
Appoſitâ,

Appoſitâ, nova non Ponto miſerabilis Helle
Nomina feciſſet: pelagique immania Glaucus
Cærula tranâſſet, proprio ſine Numine tutus.
ILLUSTREM hiſce Ducem Venetûm ſuccingier armis
Admoneam, Adriaci ſuper æquora ſtrata juvabit
Ire triumphantem, ſolito ſine remige, Vulgo
Plauſum iterante; palàm Neptuni regia conjux,
Immemor & voti, fideíque oblita prioris,
Magnificum excipiet Mœchum, & tranquilla ſileſcet.
AT quem Monſtrorum forma, aut ſonus Ennoſigæi
Territat, & cerebrum rapitur Vertigine, rivis
Ludere in exiguis præſtat; Securior ibit
Exultim, & citiùs ſe notæ advertet arenæ.
SIC cribro inſidens, equitanſve in Arundine longâ,
Pacatum magicâ levitate ſuperſilit amnem,
Laſcivumque agitat *Laplandica* Saga natatum;
Volvitur haud unquam letho, nec vertice prono
Fertur in imum; At ſi reboant cum murmure fluctus,
Illa gradu celeri fugitiva recalcitrat undam,
Tuta Viatorem dum ſublevat aura Senilem.

Cantabr. in Comitiis Prioribus, 1731-2.

Comitia Academiæ Oxonienſis, reſtaurata Anno 1732.

AEIA agite, indigenæ Cives, Academica proles,
Gratior & nobis quicunque adveneris Hoſpes,
Feſtivos vultus, animoſque in læta paratos
Induite, & noſtris faciles accedite ludis.

Tu

Tu quoque, Tu Conſors ſtudiorum chare meorum,
Adde Tuos plauſus, nec inertem ad gaudia Muſam.
B. NEC riſus averſor ego vultumve benignum;
Nec mea ſelectos inter paucoſque ſodales
Muſa verecundos refugit miſcere lepores:
At Vatum, cui docta quies privataque cordi
Otia, quis ſtrepitum perferre, tot ora tueri
Auſit, & a pleno laudem captare Theatro?
A. SED longùm ſperata dies, ſed rarior uſus,
Deſuetam revocet pompam, reſideſque Poetas
Excitet ad numeros. Quotus eſt ex millibus iſtis,
Quæ noſtros decorant cuneos (vix unus & alter)
Pacificæ hîc olim præſens qui plauſerit Annæ?
Dum vel adhuc bellique minæ, Martiſque tumultus,
Utcunque inviti, ceſſant, quis ferreus iſte eſt,
Qui felix Illud regnum renovare gravetur,
Et vel adhuc ſalvâ geminare in pace triumphum?
B. SI novitas avidos adeò perſtringit ocellos,
Cur neque Romanis ſint feſta ſimillima ludis,
Quos completa novæ referebant ſæcula genti:
Cùm præco exclamat, Spectacula viſite, Cives,
Quæ nemo in vivis mortalis viderit unquam,
Nec viſurus erit? Romamve ſequêre modernam,
Quæ brevius vitæ ſpatium miſerata, minoris
Ludorum ſeriem Sæc'li contraxit in orbem,
Et jubet haud ultra quintum procedere Luſtrum?
His monita exemplis, tandem ſapientior Iſis,
Ter fere ſeptenos luſum intermiſit in annos.
A. SI poterat nuper Muſarum Illa altera Mater
Conſeſſu pulchro venerandum ornare Senatum,
Et celebrare novas vario certamine Sedes;
Cur non & Nobis mentes idem ardor honeſtus,

Idem

Idem Amor, & Pietas, & avitæ fama Parentis
Incitet? Eſt etiam nobis, quod lumina captet;
Sunt etiam Oxoniæ regalibus æmula tectis
Mœnia; nec deſunt decoris monumenta vetuſti,
Quæ ſimul obtutu vulgus majuſque minuſque
Detineant, Juvenum ſplendorque & Purpura Patrum.

B. GLORIA quantalibet quid erit, ſi Gloria tantùm?
Poſcimur hoſpitium, & loculis convivia parcis
Ignota, & cœnas, quas non capit una culina:
Nec facilem admittent ſtipata cubilia ſomnum.
Unde poteſt pauper, ſed & ambitioſa Camœna,
Non epulis inimica adeò, ſed ſumptibus impar,
Sufficere hos luxus, demenſum ut totius anni
Unaque nox unâ comedat patrimonia menſâ?

A. FORSAN in hoc cœtu coràm ſedet alter & alter
Advena, quem puerum ſub eodem aliquando Magiſtro
Novimus: Ut riſus inter cyathoſque diſertos
Anteactæ ætatis luſus meminiſſe juvabit,
Furtáque pomorum, & virgæ commune peric'lum!
Nequitias lepidoſque dolos memorando juventæ,
Dulcis amicitiæ veteris renovabitur uſus.

B. EXCUSANT anni pueros & ineptior ætas:
Sed venia indutis veſtes animoſque viriles
Non eadem dabitur. Ne fortè licentia prava
Excidat in vitium, Cuſtos & Cenſor ubique
Inſpectat mores, totamque perambulat urbem.
Et metus eſt, quo cauta omnis vigilantia cedat;
Immemor indictæ potet ne Janitor horæ,
Ciuſius & centum monitor ſit vanus alumnis.

A. SIQUID temporibus dandum eſt, ſi ſumpta pudenter
Libertas hilaret noctes, ſibi poſtulat illud

Et

Et ratio ſtudiorum, & doctæ præmia luctæ,
Quæ nec Olympiacis ſe contra opponere Sæc'lis
Formidet. Pugilum validos exercuit artus
Græcia; ſed noſtrum eſt ſpiſſo producere circo
Ingenii vires, animíque intendere nervos.

B. DULCE quidem vacuo eſt aliorum audire labores:
Ipſe meos etiam potuiſſem adjungere plauſus,
Ipſe quoque optârim Scenæ Spectator ineſſe,
Spectator facilis, modo non ſpectarer & ipſe.
Sed non in promptu cuivis ad plectra ciere eſt
Caſtalidas Phœbumque; haud omni contigit ori
Copia dicendi, & Logicæ contentio linguæ.

A. SIQUID deliciis deſit, ſi Muſica feſtum
Adjuvet; antiquá ſervet ſi Muſica lege
Ingenuas Artes inter Nomenque Locumque,
Non oculis tantùm, ſed & auribus ecce Voluptas
Eſt ſua! Quos noſtræ ventura inviderit ætas,
Harmoniæ Artifices adſunt, fidiumque Magiſtri.

B. SUNT quos iſta juvant, & erunt quos iſta juvabunt,
Fæminei molleſque animi; qui ponere tempus
Ignari, numeros magni mercantur inanes.
Sed quis cordatus, ſacras qui diligit umbras,
Seceſſus tacitos; & amica ſilentia Muſis,
Quis malit ſtudiis priſcæ præponere Romæ
Barbariem Italicam, & nugas ſine mente canoras?

A. QUOD ſi nec capiant verſus, nec Muſica mentem,
Pars & adhuc reſtat, pars formoſiſſima pompæ.
Sique tibi Idaliis cor eſt violabile telis,
Attonitos fer circùm oculos, corámque tuere,
Quot Veneres adſint, volitent quot utrinque ſagittæ!
Tu quoque percuſſus mecum, Tu pectore cæcum
Accipies vulnus, nimioſque fateberis ignes.

B. NON

B. NON adeò obtuſus, nec ſum tam ruſticus iſte,
Qui poſſim illæſus totidem non cedere flammis:
Aut non gratari noſtro tot ſydera cœlo.
Virgineæ Sacris ſed dedita turba Minervæ,
Unde relinquamus nobis tam numen amicum?
Unde ſtatim ignavo teneróque vacemus Amori,
Natio nos hominum Cœlebs, Populuſque Virorum?

A. AT noſtra Aonidum felix fœcundaque Mater
Jure, nec invideas, aliquem ſibi poſcit honorem;
At pulchræ hæ ſedes, nitidoque & divite cultu,
Et, parte ex omni quæ ſe mirantibus offert,
Luxuries operum, dubiumque fatigat ocellum,
Ornatam, & qualem nunc eſt ſpectare, coronam
Allicit, invitat, Britonum Rhedicyna voluptas,
Invidia Europæ, Munuſque & Gloria Regum.

B. OXONII ſi tantus Amor, ſi gratia noſtrî
Tantum apud hos valeat, præſens ego partibus adſum
Adjutorque Tuis; nec publica vota morabor.
Quare agite, Indigenæ Cives, Academica pubes,
Gratior & nobis quicunque adveneris Hoſpes,
Lætitiam optatam Solennibus addite noſtris:
Proſperáque ut junctis precibus dent omina Parcæ,
Vivite Vos; alio Ludos iterabimus anno.

Rectè Statuit Woodwardus *de Foſſilibus.*

SIDEREUM ſibi NEWTONUS licèt occupet Orbem;
Tu rimeris opes, quas intra viſcera Tellus
Condidit, arcana explorans miracula rerum;
Nec labor effuſus fuerit, dum lucida Gutta

Stillat

Stillat ab Heliadum lachrymis, & marmore vivo
Indurata manet NIOBE ſibi triſte Sepulchrum.
NATURÆ abſtruſos aude reſerare receſſus;
Ductilis ambiguo quà flexu ludere geſtit
Materies, variiſque effingere ſtrata metallis;
Quà latebris terræ geniali Lampade Phœbus
Succedit, totidemque igneſcunt ſidera gemmæ.
Hinc jubar eximium & firmiſſima lumina jactat
Rex Gemmarum Adamas; cui non certaverit ulla
Fulgere vel tantum, aut totidem durare per annos.
Hinc Tibi quæ decorant baccata Monilia collum,
Lesbia, vel digito Berenices additus albo
Qui nunc Sardonychus fulget pretioſior, olim
Fudit Humus vilis, miſitque in luminis oras.
Aſſimiles igni radios vomit ecce Pyropus;
Dum viridi ſplendore coruſca oblectat Jaſpis
Infixos vultus; & Te, (niſi Vatibus omnis
Eripienda fides Chaldæis) Victor Jacchi
Immodici, leviter murex, Amethyſte, colorat.
Sed neque jam Lapides, variarum imitamina rerum,
Tranſierim; ut ſilicum venis inoleſcat Echinus,
Piſcoſumque Genus concretum marmore, motu
Diluvii; neque enim Luſus jam credimus Iſtos
Naturæ; quanquam Pyrrhi laudatus Achates
Rettulit Aonios cœtus, Phœbumque tenentem
In medio plectrum, & ſociantem carmina nervis.
OCEANUM penetrâſſe juvat, juvat uſque tueri
Curalii lucos; quod ſaxum eſt aëre tacto,
Inſolidum nuper, molliſque ſub æquore Planta.
Parvus ab hoc Infans, tinnitu lætus acuti
Argenti, ſubitam miratur molle Palatum
Duritiem trahere, & meſſem ſuccreſcere Eburneâm.

Nec

Nec tibi Concharum ſit cura noviſſima, ſi quà
Has etiam Fama eſt ſedes decorâſſe marinas
Nympharum, crebriſque inter ſa regna Smaragdis.
Sed tamen haud ſoli ſervant Conchylia fluctus;
Sæpe quidem attonitæ mirantur Oreades altis
Hæc inventa Jugis: quæ forſan tempore Pyrrhæ
Montibus in ſummis ſubſidens unda reliquit.
Quippe ubi per terras effuſa licentia Ponti,
Cumque ſuis arbuſta ſatis, piſceſque, feraſque
Devexit; Pelagi ſimul ira recumbere cœpit,
Corpora pro variâ ferri gravitate deorſum
Credibile eſt: Quæ pars illis oneroſior Imum
Occupat, at levior Terræ diſperſa per æquor.
Tum quoque particulis glomeratis corpus in unum
Turbine, concrevit ſpecies diverſa metalli
Sub terris poſuitque domos; Hinc Plumbea moles
Eruitur pallens, Ferríque recondita maſſa,
In gladios, inque arma manu conflanda Cyclopum.
PARTE aliâ Argentum florentis more Juventæ
Luxuriat, proditque ſuâ ſe luce per umbram.
Provida defodiens Natura nocentius aurum,
Damna procul ſuperis ſpecioſa removit ab oris:
Audacis donec Fabri manus arte decorâ
Nativum jubar excudit, radioſque latentes;
Lumina tum Nati aſpiciens Sol ipſe, fatetur
Eſſe ſuis majora; & vinci gaudet ab illo.
PROXIMUS oblectet mentem tibi ſuccinus Humor,
Circumdans incluſa animalia rore rigenti,
Funeribus jam facta ſuis pretioſa; Tyrannûm
Inſtar, quos olim condens Memphitica Tellus,
Et Thuris lachrymis, Succóque irrorat Amomi.

NEC

NEC *Mineris* ſuus uſus abeſt; Medicamine certo
Hæ ſiquidem inficiunt ſubterlabentia terris
Flumina; ſeu latices flammæ vis ſæva profundæ
Lambit, & inſinuat ſe per ſpiracula terræ
Vulcanus; ſeu particulis aqua Sulphuris olim
Colliſis miſcens ſeſe, incandeſcit eundo,
Et quos non habuit, ſub terris invenit ignes.
Hinc morbi Medico frendente levantur, inempta
Ridet & ipſa Salus; Hinc & vulgata per Orbem
Flumina Baiarum, quamvis non nota Dianæ,
Virgineóque choro: tamen Hìc quoque corpora lymphis
Sæpe Nurus Britonum, ſiqua eſt ea gloria, tingunt.
Nunc quoque Pæonios latices, hauſtumque ſalubrem
NASSOVIUS ſentit, cui non præſentius ullum
Auxilium venit, ac peſti medicatur acerbæ.

USQUE adeò veri ſtudioſis pervia tellus
Promit opes: princeps, Muſarum hæc ſacra retexit
Magna, nec ingeniis eveſtigata priorum,
WOODWARDUS; licèt intremuit Rex ipſe Silentûm,
Viſibus humanis ne regni arcana paterent;
Pandere res altâ terrâ & caligine merſas
Auſus; quærentíque Novus non defuit Orbis.

Cantabr. in Comitiis Prioribus, 1733-4.

Rectè

Rectè Statuit Raius *de Vegetatione.*

EGREGIOS terræ fœtus, ſilvaſque virentes,
Et pingues hortos, & amœna cubilia florum
Aggredior, ſanctos auſus penetrare receſſus,
Naturâ monſtrante viam. Tu maxima mundi
Gloria, quæ terram geniali lampade luſtras,
Huc venias, o PHOEBE, favens, ſi laurea curæ,
Non ita grata Tibi, cùm Nympha exterrita fugit
Brachia, & abſcondit nitidos ſub cortice vultus.
PRINCIPIO Natura ſui bene provida fœtûs,
Cæca per arboreos fundit ſpiracula ramos,
Quà tenuis lymphæ ſubit halitus, almaque tellus
Inſpirat ſuccos, & mitia pabula præbet.
Ac veluti varias humano in corpore ſanguis
Itque reditque vias, celeríque volubilis æſtu
Flumine membra rigat tepido: ſic ductilis humor
Intus alit plantas, fibraſque infuſa per omnes
Vis agitat molem; hinc immiſſis arbor habenis
Luxuriat, ſuperaſque audet ſe attollere in auras,
Ni vitium cœli, ſubitíque injuria morbi
Ante diem rapiat, primóque extinguat in ævo.
Ergo ubi cedit hyems, Boreæque inamabile frigus,
Verque oritur, læto cùm Jupiter humidus imbri
Subjectas ſaturat fœcundâ aſpergine glebas,
Laxa tumet tellus, calidíque potentia Solis
Pabula propellit per hiantes lactea venas:
Jam rediviva novis ſe plurima frondibus arbor

Induit,

Induit, & læti properant revireſcere rami,
Atque umbris circùm nigris horreſcere ſilvæ.
Mox quoque ſe trudunt gravido de palmite gemmæ,
Pampineis defenſæ umbris, ne turbidus imber
Lædat, ne teneras exurat Sirius uvas.
Splendida gens florum, quos frigida bruma tegebat,
Clauſa diu tenebris, & cæco carcere terræ,
Emicat e latebris, & amicas reſpicit auras.
Vivida rura nitent paſſim: nunc mollia prata,
Nunc crocei rident halantes ſuaviter horti.
En! Roſa, virgineo vultum ſuffuſa pudore,
Sanguineo ſplendore rubet; juxtáque decoro
Spina hæret lateri, teliſque extantibus horret.
Parte aliâ ſparſum Lethæo rore papaver
Fulget inardeſcens foliis: dum *ſenſilis* herba
Vi propriâ pollet, refugitque exterrita tactum.
Tu quoque purpureo, NARCISSE, indutus honore,
Exeris os pulchrum, viridíque in margine flores:
Verſus adhuc ſervas priſcæ veſtigia formæ,
Quem flevit verſum vitreâ CEPHISIUS unda.
Addit ſe ſociam CLYTIE pulcherrima, ſemper
Ora videns Phœbi, ſemperque miſerrima queſtus
Ingeminans: curæ non ipsâ in morte relinquunt.
Stant violæ circùm molles, pictæque Tulippæ,
Puniceíque Croci: dum argentea ſimplice cultu
Lilia ſe decorant, & candida pectora pandunt.
Lacteus albeſcit veluti per aperta ſerena
Circulus, & puro ſplendeſcit lumine cœlum.
Uſque adeò variis ſe prodiga FLORA figuris
Jactat, dum ambroſios circùm Dea fundit odores
Delicias mirata ſuas, pictamque colorum
Luxuriem oſtentat, nitidóque ſuperbit amictu.

Qualis

Qualis ubi apparens liquidis in nubibus Iris
Luce coloratur variâ, cùm floridus imber
Rore micat pluviæ, & pulchro ſcintillat in arcu.
MOX ſubit ardentem Lampas Phœbæa Leonem,
Virgineos ſubitura ſinus, & Sirius ardor:
Ille ſitim morboſque ferens arentibus herbis,
Naſcitur, & triſti ſpargit contagia cœlo.
Silvarum ſpoliatur honos, ſterileſque per agros
Arborei languent fœtus; nunc fronde decorâ
Brachia nudantur, ſuccoſque oblita priores
Corpora degenerant: ſævo peritura veneno.
Quercus amica JOVI, gratiſſima laurea PHOEBO,
Formoſæ myrtus VENERI, ſua vitis JACCHO,
(Heu malè dum mites defendit pampinus uvas,)
Succumbunt morbo, vitamque auraſque relinquunt.
Jam ſitiunt herbæ; nudatur dædala tellus
Floribus, atque brevis pratorum gloria cedit.
Tu quoque flebilibus mœrens, HYACINTHE, figuris,
Æmulus AURORÆ, Tyrioque nitentior oſtro,
Langueſcis moriens: formæ nihil auctor APOLLO
Subvenit heu! ſævus, veteriſque oblitus amoris.
Tu quoque, qui croceos ad ventum expandis honores,
Pulcher ADONI, peris: tua te CYTHEREA cadentem
Ecce iterum cœlo fruſtra miſeratur ab alto.
Interea ex lucis Fauni Satyrique loquuntur;
Perque domos virides, & rura ſilentia latè,
Ingentes DRYADUM gemitus, planctuſque SORORUM
Audiri longè, & mœſtum increbreſcere murmur:
Horreſcunt corda agricolis: ſtupet inſcius alto
Accipiens voces ſaxi de vertice Paſtor,
Silvicolaſque Deas, & Numina ruris adorat.

Cantabr. in Comitiis Prioribus, 1734-5.

MAGNES.

MAGNES.

QUOS agitant motus Magnetica Corpora; qualis
Cautibus eſt ſenſus, Silicíque innata cupido;
Quidve volunt, quid amant, & quo ſe numine tollunt,
Verſibus expediam: non ſaxa ego, doctus ut olim
Vates, pollicitus mirantia flectere cantu;
Paſſus at ipſe dolos magicos, dum prodigus auræ
Fundit ſe latè Magnes, en! carmine tangor,
Et quocunque volet me ducere, deferor hoſpes.
ERGO age, quâ liquor Europam ſecernit ab Afro
Interjectus, aquis modicum caput exſerit Elba:
Elba ferax Magnetis, ut huc migrâſſe putares
Magneſi patria arva ſoli; notiſſima famâ
Inſula, ſi mercem ſpectes; nec ditior ulla,
Utiliorve, Paros quamvìs ſua marmora jactat,
Et varios lapides ſignis ſpirantibus aptos.
Quin nec difficile eſt ſaxum quærentibus; Indi
Ut ſi ſcrutantur gemmas: ſatis ire ſub umbram,
Et glebas verſare rudes, ſe cominus ultrò
Proripit en! lapis, injectiſque ligonibus hæret.
Lætus nimirum per opaca & inhoſpita teſqua,
Per loca ſenta ſitu veterem agnoviſſe ſodalem,
Conſociare manus, ſuperaſque evadere ad auras.
PAULISPER tamen avellas (crudelia quamvìs
Imperia exerces) conjunctaque fœdere corda
Prudens dimoveas. Lapidoſam dextera gemmam,

Læva

Læva manus chalybem teneat. Spectare juvabit,
Queis irruptus amor, queis mutua pectora curæ,
Par desiderium, facilesque in vulnus utrique
Ire Cupidineum mentes: Ut abire laborant!
Ut nituntur in amplexus! ut velle videntur,
Invide, ni reprimas, suavi dare basia luxu!
Tantus amor rigidis, tanta est quoque flamma metallis.
Nimirum Lex una omnes ea cogit amantes
Divorumque hominumque genus, pecudesque, ferasque,
Materiemque rudem, atque informis corpora molis,
Ut videant, pereant, cæcóque ferantur amore.
Hinc flagrare Silex; hinc & sua vulnera Ferro.
Protinus hinc missis mirabere lentus habenis
Corripuisse vias medias, & corpore toto
Alterum in alterius ruere, atque hærere medullis.
QUIN suspectus amor si sit tibi, porrige Gemmæ
Aurum, si pretio thalamos corrumpere possis.
At Silici frustra splendet, nam munus iniquum,
Dedignata tuo, Midas, explerier haustu,
Prosequiturque odiis, & lumine respuit ægro.
Cui nisi reddantur nigrantia pabula Ferri,
Tabescitque fame, vitamque remittit in auras.
NEC minor his quam vel Tibi, Pyrame, vel Tibi, Thisbe,
Ardor inest; quamvis fidos jactetis amores.
Quippe nec his paries quicquam languentibus obstat,
Nec tabulata, licèt nullis distantia rimis.
Indivulsa manent; penetrabilis obice rupto
Itque reditque calor per robora, per lapidosam
Congeriem; & Genio indulgent, æstúque fruuntur.
Quid quòd & Illa trabes medias molimine nullo
Tollent sublimes, & inertem forte columnam
Spernere humum solidamque basim; &, Mahometis ut olim

Arca

Arca ſepulchralis, pendere per aëra cernes.
HINC etiam incautis nimiùm vicina carinis
Te miſerum, ni vana fides, celeberrime nauta,
(Sive *Robinſonus*, ſeu quiſquis es alter ab illo)
Oppreſſit rupes Magnetica: plena ſecundis
Vela dabas primùm ventis, pelagoque volabas.
At quo nunc, Palinure? celer dum denatat amni,
Et curſu vada falſa ſecat, tremefacta per artus
Concutitur ſubitò ratis, & (mirabile viſu)
Mox reſoluta perit compagine: ſic Jove puro
Flebile naufragium, & ſparſæ ſine murmure puppes.
Ecce autem conti paſſim clavíque trabales
Anchoraque & cunei, atque immania pondera facto
Agmine certatim ſummas volitare per undas,
Ilicibuſque cavis præcurrere tuta relictis.
Jamque tenent metam & dilectis cautibus hærent.
At, bone, Tu ſævis nimiâ levitate fuiſſes
Merſus aquis, galeâ ni tunc indutus obires
Forte viros. Gravis hinc à fundo redditus imo
Pronus ſaxa petis, jamque ardua vertice prendis.
FICTA loquor— quin verte oculos, ubi plurima pinus
Fluctibus in mediis Magnetis numina ferro
Dum concluſa vehit, maria omnia, certa viarum,
Perluſtrat latè, atque immenſum navigat æquor.
Quippe undas inter ſuperas ducente carinam
Nauticâ acu, Stygiis ſubter latet abdita regnis
Saxi conſcia maſſa, ſuâque revolvitur undâ.
Jam novus hinc Orbis, nova ſydera, & æquora, & aër
Ducitur hinc longus per regna ingentia ponti
Rerum conſenſus; vaſtamque hinc inde pererrat
Spiritus intus agens molem, & vi præpete fuſus
Nota audit redditque leves reſponſa per auras;

Ne

Ne temerè amiſſo extremi Libramine mundi
Erret in occiduum, aut ſolem vaga puppis Eoum.

Cantabr. in Comitiis Poſterioribus, 1734-5.

Divina Bonitas demonſtrari poteſt à poſteriori.

TAntumne in facinus, tantumque Humana furorem
Gens ruit effrænis? Maleſuada ſuperbia mentis
Uſque adeò ſe effert, ſcelerumque inſana lubido?
An fruſtra inſtituit ſupremus Conditor orbis
Tot vitam cumulare bonis? Tot ſplendida dona
Nequicquam effudit? Nec adeſt, qui cœlitus iſta
Fluxiſſe agnoſcat, meritoſve exſolvat honores?
An fruſtra cœlum Stellarum luce coruſcum
Cernis? & in medio ſuſpenſum vortice ſolem?
Fortuitò, an lapſu vaſtum per inane Planetæ
Volvuntur, miroſque tenent certo ordine curſus?
Aſpice quàm cupidi ad genitalia lumina tendunt!
Nequicquam cupidi! Nam vis inviſa coërcet,
Calleſque ancipites pulchra in curvamina flectit.
En proprium ſortita locum nitidiſſima Tellus,
Cui data Luna comes! Quin appetit hæc quoque Solem;
Hæc quoque currit ovans, peragitque volubilis orbem.
Verni ſuccedunt hinc certâ lege calores
Hybernis nivibus, Veri ferventior Æſtas:
Æſtati Autumnus, flaventia dona reportans;
Autumnoque inſtat canis fera Bruma pruinis.

Hinc quoque continuò fugientia lumina Phœbi
Calce premunt tenebræ, tenebris ſuccedit opacis
Gratior inde dies, variuſque revolvitur annus.
QUISNAM iſtos montes in cœlum ſuſtulit altos?
Aut quis depreſſit ſinuoſo in tramite valles?
Quis tumida immenſi diffudit marmora Ponti?
Quâ causâ aſſurgunt, rurſuſque in ſe ipſa reſidunt?
Quis rore aſſiduo ſegetes recreatque fovetque?
Quis gratos arvis demittit providus imbres?
Quiſve errare jubet per amœnos flumina campos,
Et terræ faciem lætis veſtire quotannis
Frugibus? —— Ille Deus, qui fulmine concutit orbem;
Ille Deus nobis miracula tanta peregit.
Et dubitamus adhuc placidumque bonumque fateri?
CUM niveus canis diffugit montibus humor,
Et placidum effulget tranquillo lumine cœlum,
Aſpice quàm toto naturæ vultus in orbe
Gaudia teſtatur? Quo vernant gramine campi?
Quo ſilvæ folio, nemorumque obtecta vireſcunt?
Aſpice quot pulchris variantur floribus arva?
Quales Veris opes per mollia prata refulgent?
Queis grex aligerûm concentibus æthera pulſant?
Quâ voce exultant? Modulanti gutture carmen
Quàm varium, quàm dulce fluit? — Quàm ferreus iſte,
Quem non tanta movent, tam prodiga munera cœli!
Nec laudem extorquent! Tibi fundit gramina Tellus,
Improbe Mortalis! Tibi flos collucet in agris;
Et Philomela Tibi, ramo dum pendet opaco,
Melliſluas reſonare docet nemus omne querelas.
At poſtquam æſtivos videas procedere menſes,
Cùm Sol purpureos torſit violentior ignes;
En rerum aſſurgit novus ordo! Pulcher & ille!

Jam

Jam Tibi maturis horreſcunt frugibus arva;
Jam quanta humanas pertentant gaudia mentes!
Quippe Deus pingues flaventi meſſis amictu
Jam tandem obduxit ſulcos. Juſtiſſima Tellus
Depoſitum agricolæ largo cum fœnore reddit.
Jam læta omnigenos fundunt pomaria fructus,
Atque incurvantur ſub iniquo pondere rami.
Luxuriat gravidis turgens in vitibus uva,
Perque comas virides gratiſſima purpura fulget.
CUR verò admirans naturæ in limine cunctor?
Atria quid laudo? Juvat interiora videre,
Sanctaque ferventem miracula pandere rerum.
Heu! fruſtra enitor ——— Cupientem talia vires
Deficiunt. Neque enim quivis cœleſtia dignus
Decantet, mundique inflectens Numen habenas.
Nec mihi ſi linguæ centum ſint, oraque centum,
Cuncta meis unquam complecti verſibus optem
Inclyta facta Dei. Quàm terque quaterque beata
Gens ingrata hominum, modò vellent eſſe beati!
Nam ſua ſunt, quæcunque vident — ſeu palmite germen
Turgeſcit viridi, ſeu ſtipite floſculus exit,
Aut Sole incipiunt dulces nigreſcere fœtus.
Quæcunque in terris, quæcunque in gurgite vaſto,
Quæcunque in liquido traducunt æthere vitam,
Imperium agnoſcunt, & juſſa capeſſere gaudent.
Iſta Deus prona & ventri parentia finxit;
His vultus dedit dedit Æthereos, cœlumque tueri:
His quoque cœleſtis partem conceſſit honoris,
Et propriâ humanum ſignavit imagine pectus.

Cantabr. in Comitiis prioribus, 1735-6.

Bruta cogitant.

MIRIFICOS muti Pecoris, Volucrumque labores,
Et generis latè ſub gramine tecta tenentis,
Auſpice Te, Natura, ſequar; Tua dulcis imago
Luminibus, quocunque feror, placitura niteſcit.
MORTALES animi cœleſtis munera jactant;
Gentis at humanæ Pecoris Gens æmula ſurgunt.
Diſſimiles noſtris factorum ponere cauſas
Vult Sophus; at ſimiles effectus dicta refellunt;
Et regit Humanos Ratio, Pecorumque labores.
Hinc metuunt, cupiuntque, petunt placitura, relinquunt
Quæ nocitura putant: Inimici provida vitant
Hoſtiles furias, atque agmina conſcia jungunt.
HINC Lupus ignotos montes, campoſque pererrat,
Sylvarumque petit latebras, nemorumque receſſus;
Venantum illudit curas, hominumque tueri
Ora timens agitat per amica ſilentia prædam.
Dum Canis in campis greſſus comitatur heriles
Blandior, & paribus figit veſtigia curis.
Non hunc ſylva movet: non hunc ſuper avia ducit
Effera Libertas; ſed jura domeſtica vitam
Exercent; ſimul eſt portæque viæque Satelles.
SIC ubi Dulichius patria arva reviſit Ulyſſes,
Filius hunc reducem, reducem fidiſſima conjux
Optat, & ignotum cernit; ſed lambit heriles
Conſcia lingua pedes, oculiſque errantibus ora
Suſpicit, & Dominum moriens reminiſcitur Argus.
Hîc Pietas! hîc priſca Fides! Socialia jura

Diſcat

Diſcat Homo, Catulique pium fateatur amorem;
Indita quem ratio regit, & reverentia legum,
Quas genetrix Natura dedit, juſſitque tueri.
NUNC Sophus aligeros Fœtus, pictumque Popellum
Cernat, & ex illis monitus meliora ſequatur.
Sidera noſcit Homo: Volucres ſua ſidera noſcunt.
Aſpice, dum Cœli cauſas explorat Hirundo,
Præſcia ventorum, tempeſtatiſque ſonoræ,
Angliacas mutat ſedes, ubi guttula duram
Cogitur in glaciem, rigiduſque perhorruit imber.
Augurio hoc fretus proſtratas Meſſor ariſtas
Condat, & in cultos ſubmittat ſemina campos.
Sic & Hyems bibulæ radici alimenta miniſtret,
Atque æſtiva Ceres lætis flaveſcat in arvis.
EX avibus diſcat crudelis Mater amorem,
Stirpe & in exiguâ ſtet publica cura Parentum.
Conceſſam hinc Venerem conjux, ſtabilitaque ſervet
Jura tori.
Nulla nemus maculant Veneris monumenta nefandæ;
Quæque genus ſequitur proprium, caſtaſque veretur
Conjugii leges, & in arbore pendula condens
Oppida progenerat, ſtirpemque exponit in ovis.
Ipſe Pater nidi Matrem Fœtuſque loquaces
Paſcit, & in quæſtum victûs nemus omne pererrat,
Quæſitumque domum, licèt eſurit ipſe, reportat.
Spem ſi fortè domûs teneram ſubducat Arator,
Flent Patres, ſimul effuſus labor omnis, & ipſi
Incuſant querulis infidas fletibus Ornos.
Hîc thalami leges, curaſque agnoſce Parentum.
NUNC iterum deflecte oculos, & reſpice gentem,
Quam tenet occultam ſub gramine dædala Tellus.
Hîc ſimul incanis Sol lucidus arva reviſit

Frigoribus viduata, novis Plebecula campis
Gaudet, & æſtivo fruitur rediviva calore.
Floribus in teneris ſuſpendit Aranea caſſes,
Textile clam jecur exhaurit, fœcundaque telis
Viſcera, nec filis requies datur ulla renatis.
Tum gyris gyros, atque orbibus implicat orbes,
Effundenſque animam vitali in ſtamine ponit.
Huc ſi Muſca viam tendat, ſuper avia currit
Fila tremor, captamque monent; ſed Aranea tactus
Prodit ad exiguos, pedibuſque per intima portat
Tecta viatorem, pictiſque epulatur in alis.
Anne hoc hoſpitium eſt? ſúntne hæc tua, Perfida, jura?
Ah nimiùm ſimiles humanis artibus artes!

QUIS docuit, Formica ſuam quo ſidere meſſem
Condere, quove negant venti pluviæque procellæ
Prodire, exiguiſque jubent latitare ſub Antris?
Aſpice, ut aſſiduos in aprico colle labores
Inſumens, hyemis non immemor, undique fruges
Colligit in commune bonum; ſua quæque reponit,
Non ſibi, ſed ſociis pariter, populíque ſaluti.
Diſſipat exiguas nunquam mens prodiga gazas,
Quà tenue imperium, labefactaque jura reſolvat;
Sed ſocialis amor ſervat per ſæcula gentem.

NUNC agnoſcit Apis placido cum murmure Solem
Æſtivum, pandenſque alas per & arbuta paſſim
Perque crocos volitat, foliiſque ſub omnibus hæret.
Mella venenoſis prudentior exprimit herbis,
Quàm fretus ſtudio Podalirius, arte Machäon.
Ex roſeis, lectis hinc inde ſaporibus, hortis
Radit iter liquidum, repetitque tenacia tecta.

QUÆQUE ſuas ſibi ſtipat opes. Cum publica poſcunt
Commoda, Regaleſve ædes, tum parva ſub antris

Gens

Gens ſtruit Oppidula, & cunabula mellea fingit.
Hinc genus immortale, manent & ſplendida regna,
Hinc ſtat amor Patriæ, & veterum reverentia Legum.

Cantabr. in Comitiis Poſterioribus, 1736.

Rectè ſtatuit NEWTONUS *de Luce & Coloribus.*

CÆRULEAS Divûm ſedes, penetralia vaſta
Ætheris, & Pelagi fluctus, Sylvaſque, Domoſque
Naïadum virides, formavit mira Poteſtas,
Signavitque humiles vario diſcrimine Terras.
Quaſcunque in mundi partes convertimus ora
Mirantes, animo fert oblectamina, quicquid
Aſpicimus; nequeunt expleri corda tuendo.
Unde tamen vis hæc? quæ tam fœcunda Colorum
Cauſa fuit? nitidos quis opacis rebus amictus
Induit, ornatuque dedit ſplendere decoro?
Nam neque Parrhaſii fuco, nec arundine Zeuxis
Proveniunt: mira hæc ſinxit cœleſtis Apelles,
Omniaque artifici debent exordia Luci.
Illa plagas cœli liquidas, Illa æquora Ponti,
Terrarumque polos, totumque illuminat Orbem.
Hinc variæ apparent Species, rerumque Figuræ;
Hinc Decor, & pulchræ laſciva ſuperbia Scenæ.
EHEU! quanta olim tenuit nox omnia! Qualis
Caligo ſuperincubuit! cùm luridus Hades,
Cùm Chaos, & Fatum, Caſuſque incertus habebant

Cuncta ſub imperiis: nondum incunabula Mundi
Surgere, nec poſitâ coaleſcere ſemina lite
Juſſerat Omnipotens; ſed latè obnubilus horror,
Umbráque regnavit triſtis, confuſáque rerum
Congeries, ſecum diſcors: nec erat Color uſquam,
Nec Decor. At tandem per opaca ſilentia noctis
Emicuit Cœleſte Jubar, denſaſque tenebras
Diſpulit, & Ditis patuêre informia Regna.
INGEMUIT lugubre Chaos; centumque per antra
Plangenti totidem ſuſpiria reddidit Orcus.
Tum procul enituit Mundi naſcentis Imago
Pulchra; nec ulteriùs latuit caligine merſa
Inclyta Naturæ facies. Lux aurea paſſim
Effulſit, campos pingens & cærula Divûm
Atria. Neve olim radiorum Copia terris
Deficeret, prudens, ventura in ſæcula, Numen
Conſuluit, vaſtumque Orbem ſuper ardua Cœli
Ire vias juſſit certas, & cuncta fovere.
Scilicet hinc largo deſcendit flumine Solis
Illibatus Honos; Natura hìc provida ſervat
Fœcundos Lucis latices, fontemque perennem.
QUIS tamen expediat fando, quàm præpete curſu
Deſcendunt radii? tali non turbine fertur
Alituum pennata cohors; non ſtridula Parthi
Spicula, non fundæ liquefactum verbere plumbum:
Non ſuper Arctoas gentes, Scythiamque nivalem
Ventorum præceps furor, alatæque Procellæ.
Nam quantum aërii Paſtor de vertice ſaxi,
Intuitu latè emenſus Cœlum, Æquora, Terras,
Proſpectat ſpatii; rapido Lux impete tantum
Conficit erumpens, niſúque ſupervolat uno.
Aſt ubi jam noſtras Hoſpes nova fertur in oras,

Multas

Multas ægra vices patitur, remoramina multa,
Obvia corporibus paſſim; tamen inde profectus
Exoritur Color omnigenus: rerumque Venuſtas
Egregia ex vario Lucis modulamine ſurgit.
Hinc quoties tabulas oculorum lucidus imber
Irrigat, in fundo apparet pictura fidelis,
Umbræque exiles, rerumque imitamina parva.
Et quoniam capiti præfixit Lumina Numen,
Præſidet hîc Anima, & celsâ dominatur in arce;
Perque oculos longè, tanquam per aperta feneſtræ,
Proſpicit; & Campos metitur, & æquoris undas.
Nunc valles videt umbroſas, nunc vertice cano
Miratur Montes. Acies namque omnia viſu
Prendit, & in parvo referuntur cuncta Theatro.
DISCERNANT alii, quorum Mens alta capeſſit,
Affectus Lucis varios: queis dicta paret
Legibus; & quæ vis detorquet tela Diei
Obvia, perque auras devexo tramite mittit.
Cur Lux, impediat ſi vitrea lamina curſum,
Refractos patitur radios; at in aëra rurſus
Erumpens, notâ fertur regione viarum.
Cur radio facilis jam aditus, jam clauditur omnis.
Denique cur Zemblæ tenebroſa ad littora Titan
Apparet citiùs; cur Lunæ orientis Imago
Major; & aſtra gelu cur ſcintillare videntur.
HÆC alii: neque enim cauſas evolvere rerum
Abſtruſas potis eſt Vates: ſatis, ille Diei
Quòd celebret decus, & dono fungatur inani.
O Jubar æthereum! Cœli O clariſſima, ſalve,
Gloria! Túque adeò, radiis vallate coruſcis
Phœbe, parens Lucis. Veneres Tu mille latentes
Exprimis; & pulchros in lucem educere gaudes

Naturæ partus, varioſque aperire labores.
Per Te, quicquid habet Mundus mirabile nobis,
Panditur; acceptumque Tibi decus omne refertur
Terrarum. Gentes nequicquam interluit æſtu
Vicinas pelagus; Tu das ſuperare viarum
Ardua, & obtutu Seſton conjungis Abydo.
Nec maris anguſti tantùm diſcrimina ſolers
Decipis, Oceanique moras: Tu ſidera Cœli
Subjicis humanis oculis, & diſſita longè
Das ſpectare loca, & Dias inviſere ſedes.
NATIVA hinc quamvìs ferimur gravitate deorſum
Ad Stygias ſedes, Ditiſque inamabile regnum,
Mente tamen ſurſum rapti ad ſublimia, molem
Exuimus terrenam, animoſque æquamus Olympo.

Origo mali Naturalis ſolvi poteſt, ſalvis Dei Attributis.

EX quo libratam ſuſpendit in aëre molem
Terrarum Deus, & juſſit per inane moveri;
Cuncta ſuum munus peragunt, nec inutile quicquam
Orbis habet: maria & terras, cœlumque profundum
Si penitus luſtres; oculis occurrit ubique
Divina Artificis manus, & ſapientia mira.
Ipſa etiam quæcunque hominum metuenda paventes
Sollicitant animos; non hæc ſine numine Divûm
Eveniunt, proſuntque mala. Hoc ſe cardine volvit
Natura, & rerum non enarrabilis ordo.

ÆTHE-

ÆTHEREOS oculo primùm circumſpice tractus,
Imbriferaſque domos Ventorum, & regna Diei
Lucida. Nonne vides, ut in æthera purget apertum
Se nubes; decoranſque novis ſplendoribus Orbem,
Purior eniteat Phœbus: ſimul igne coruſco
Intonuêre Poli; & convexa palatia Cœli,
Et nemorum antiquas fregêre tonitrua quercus?
Tempeſtas etiam ipſa hominum famulatur in uſus,
Et venti: En! Cumulos Notus impete tollit aquarum
Horriſonos, Boreæque undantes verbere Sylvæ
Procumbunt. Viduis aliter genus omne animantûm
Deficeret terris; corruptoque aëre peſtis
Undique deſertis funeſta incumberet agris.
Scilicet hinc agilis fit, ſtagnanteſque vapores
Diſcutit aura fluens; flatuque exercitus æther
Mitis alit fruges, & terras ſanior ambit.
QUIN Pater humanæ indulſit non omnia genti;
Defectúſque juvant. Auri ſenſoria Numen
Imperfecta dedit; nimio ne tibia cantu,
Neu cithara irriguos violaret murmure ſomnos:
Ne menti fragor auditus, ne lapſus aquarum
Officeret, Zephyrique ſtrepit quæ flamine Sylva.
Nonne etiam, ſi cui ſenſus perfectior eſſet
Naribus; ingratos illi ſpiraret odores
Thurea virga Arabum, & florentes veris honores?
Narciſſos quereretur, & halantes Hyacinthos;
Nec tantùm hamatis nocuiſſe Roſaria ſpinis.
Finge oculos, quales nec acuto Lyncea viſu,
Serpenteſve habuiſſe ferunt: Ut corpus Arachnes
Villoſum, mirâ ſtupefactus imagine rerum,
Spectaret Sophus, & tenues, ceu retia, telas!
Quotve ſub effoſſis animalcula parva latebris

Caſeoli

Caseoli posuêre Lares; quot nutrit Acetum,
Horreret miser, armatamque Proboscide Muscam!

JAM quæ Nilus alit, fœcundi rura Canopi,
Lustra oculis. Rapidos tosto sub sidere Cancri
Sistit equos Phœbus; cursu cùm pascua verrens
Diluvies æstiva vago premit agmine aquarum.
Jam non alta petit septena per ostia Flumen;
Sed tegit oppressos acies Neptunia campos:
Exultánsque animis, nactus secura Colonus
Saxa, triumphantes ex alto despicit undas.
Hinc nempe arentes succo pingueścere sulcos,
Atque optata videt fata luxuriare; neque antè
Sollicitat fossor versata ligonibus arva,
Quàm latè obducto fœcundans omnia limo,
Per prata undanti stagnârit gurgite Nilus.

NEC tamen (hæc cùm sit torrentibus insita virtus
Fluminibus) nihil humori contrarius ignis,
Vulcaníque juvant incendia. Fervida tollit
Flammarum Ætna globos; jamque atra volumina fumi
Cum pice, sulphureos jam faucibus evomit ignes:
Fragminâque exesæ rupis, sua viscera, torquet
Cum gemitu. Hinc omnis circùm vastata tumultu
Terra jacet; plangunt vineta, boûmque labores,
Pulsatumque cavo se pumice contrahit æquor.
Ni faciant, clade & fatali fœta ruinâ
Intremeret tellus; ferventibus omnia flammis
Sterneret ignis atrox; & subterranea rumpens
Claustra, laborantis compagem solveret Orbis.
Quin ubi subjecta agricolæ Vulcanius imber
Texerit arva; novas effœtæ incendia vires
Sufficiunt terræ, & rident Cerealia dona
Fortunata malo. Hinc adeò te, fertilis Enna,

Flora

Flora opibus decorat; jucundo hinc gratia Veri,
Et Siculæ Romana implent granaria meſſes.

QUID memorem ſtrages, quid tela madentia leto?
Si nulli inſano, Martis fera caſtra ſecuti,
Confoſſi ferro occiderint; habitanda Colonis
Deficeret tellus, victumque exhauſta negaret.
Uſque adeò juvat Ambitio, juvat horrida belli
Tempeſtas; prodeſtque ipſa inter funera Mavors.
Sic, ne plus nimio foliorum prodiga vitis
Luxuriet, curvâ tollit capita alta Putator
Falce, ſalutifero compeſcens vulnere Ramos.

Cantabr. in Comitiis Prioribus, 1738-9.

Judicium PARIDIS.

SOL radiis ſummos tremulis contingere montes,
Et roſeum proferre jubar per cærula cœpit,
Cum PARIS Idææ clivoſo in tramite ſylvæ
Lanigeras cogens pecudes, canentia circùm
Gramina tondentes, allabier æthere puro
Cœleſtes vidit Formas, viridemque per umbram
Adverſi nemoris, manifeſto numine ferri.
Contremuit primo aſpectu, tum lumine fatur
Demiſſo venerans: Nemori ſuccedite noſtro,
Felices, quæcunque, Deæ; ſeu ſtagna tenetis,
Seu liquidum fluvii thalamum vitreoſque receſſus,
Seu Phrygiæ Matris comites, cava tympana palmis
Pulſatis, lucoque choros agitatis in alto.
Talibus oranti, levibus Cyllenius alis
Ante oculos aſtans, invadit vocibus ultro.
Parce metu, Paſtor; Tibi fas audire Deorum

Col-

Colloquium, corámque ardentes cernere vultus.
Jam nunc expectant tria maxima Numina veſtrum
Judicium, paribuſque ineunt certamina formæ
Auſpiciis, ſic fata ferunt; tu munera pomi
Sume manu, Heſperidum ramo flavente revulſi.
Nunc celeranda via eſt, quâ Divæ in margine fontis
Egelido, (quales Mæandrum propter amœnum
Mæonii cygni,) fluviali rore decoros
Perfundunt certatim artus, liquidamque caniſtris
Ambroſiam expediunt, & odores crinibus afflant.
Dixerat. Ille autem nil contrà tendere, ſecum
Multa agitans, verſanſque manu mirabile donum.
At magnâ rerum ſtupefactus imagine, greſſus
Fert tacitos, ducente Deo; tum per juga longa
Solorum nemorum, & ſylvæ ſecreta profundæ,
Deveniunt ſacros gelidâ ſub rupe receſſus,
Quâ geminæ Xanthi ſcatebræ per ſaxa volutæ
Prorupêre jugo, liquidiſſimus ambiit æther,
Et mille halârunt viridantes floribus herbæ.
Jamque adeò Divæ nemorum per amœna vireta
Sublimes ibant pariter, qualeſque videri
Cœlicolis, quantæque ſolent. Hinc regia Juno
Inceſſu procero, & majeſtate ſuperbâ
Se campo intulerat, per candida brachia flavas
Dans de more comas. Juxtà Tritonia Pallas
Oſſibus oſtentat nexos majoribus artus,
Et validis aptos nervis; Illa eminet alto
Vertice, cæſariem nodo collecta fluentem.
Hinc tenero ſuſpenſa gradu per gramina mollem
Fert Cytherea pedem, vultu formæque lepore
Non alio, quàm cùm Cyprii de gurgitis undâ
Divinum caput extulerat; ſtupet undique turba

Nereïdum

Nereïdum Phorcique chorus; ridentibus Illa
Se luſtrans oculis, cervicem conſcia formæ
Leniter inflectit teretem, manibuſque nitentes
Rejicit alternis, fingitque ſubinde capillos.
Jamdudum incertis Paſtor Priameïus errans
Luminibus, tacitâ totas formidine luſtrat.
Dum ſtupet, & vultu ſuſpenſo immobilis hæret,
Prævertens comites Saturnia talibus inſit.
ADVERTAS, Juvenis, nam tè victoria ſtabit
Judice; ſic Parcæ juſſis ingentibus urgent:
Et dicta hæc animo non aſpernanda profundo
Accipias. Adſum Divarum maxima, conjux
Illius alta Jovis, qui terram numine torquet,
Æquoreaſque vias, cœlique immania templa.
Jamque adeò cognoſce, preces deſcendere in ullas
Indignor cœli Regina: hanc aſpice formam,
Hæc Ixioneas furias accendere, magnum
Hæc potuit mulcere Jovem; tu præmia reddas
Debita, nec meritis aberit ſua gratia tantis.
Quin age, tende oculos, proſpectus quà patet ingens
Per ſylvam, atque acies per inane licentior errat,
Hinc geminæ cernas Mavortia littora Thraces,
Biſtoniaſque plagas, hinc Myſo obtenta Caïco
Arva procul, Lydaſque arces, uberrima regna;
Iſta tibi cedet regio, populoſque potenti
Tot latos ditione premes; en gaudia pulchri
Imperii divina, ſuo quæ ſanguine quærunt
Mortales, miſerique extrema per omnia belli,
En oblata tibi; finem dedit ore loquendi,
Cùm ſic virgineo paulùm ſuffuſa rubore
Pallas ait. Nos digneris, nos, munere, Paſtor,
Egregio, ſi non, lætus magno incremento,

Jupiter

Jupiter hos vultus nequicquam lumine tinxit
Purpureo, placidumque dedit per membra decorem.
Nec tibi deſpectu ſint munera Palladis; audi,
Quæ te Fata manent, poſſim modò laudis amorem
Incutere, atque animum venienti incendere famâ.
Tu pecudes inter ſylvis inglorius erras
Deſertis; alii, qui tecum flore juventæ
Pubeſcunt ſimili, Thebarum ad mœnia magna
Jam nunc inſtituunt aciem, & felicibus armis
Adſunt ultores. Quin, me duce, corripe ferrum;
Ipſa tibi ingentes animos, vireſque ſecundas
Sufficiam, nihil obſtabit quin ſub juga fines
Heſperios mittas, domitumque ferare per orbem.
Non illi quorum per terras diditur omnes
Fama recens, Theſeus ingens atque inclytus armis
Pirithous, non ipſe Alcides munia obire
Magna Ducis, mediove pares concurrere campo.
Et dubitabis adhuc raptim fulgentibus armis
Accingi, capitique novas decerpere lauros?
Finierat, roſeoque Venus ſic incipit ore.
Non ego quæ curâ exercent, belliſque fatigant
Ambio muneribus; non te certaminis hortor
Ancipites tentare vices, miſeræve per arctum
Luctari ambitionis iter: tibi mollia vitæ
Otia ſecuræ, tibi blandi vincula amoris
Conveniunt, vacuique animi divina voluptas.
Pinguia quâ culta Eurotas, ripaſque pererrat
Lentus arundineas, proles Ledæa Tonantis
Parta tibi conjux; Illam æmula turba Procorum
Sollicitans, miſero incaſſum ſuſpirat amore.
Illam Diis geniti Heroes certamine miro
Optavêre ſibi, jam nunc tua præmia, Paſtor.

Vade

Vade age, flecte Helenam, non aſpernabitur Illa.
Ipſa adero, atque animis illabens numine toto
Accendam teneros labefacto pectore ſenſus.
Tantum effata ſilet: ſopitaque murmura circùm
Per magnum poſuêre nemus, jam mentibus aſtant
Arrectis hinc inde Deæ, dubioque pavore
Ora tenent intentæ omnes, cui munera cedant,
Quam celſa accipiat victricem regia cœli.
Nunc agitat PARIDEM regnandi incerta voluntas,
Nunc virtutis amor, dominantior inde cupido
Inſinuat; donec paulatim vulnera amoris
Lenta trahens, Cythereâ hæret defixus in unâ:
Jamque oculis humeros totis, jam pectora luſtrat,
Qualia de lævi pulcherrima marmore quondam
Artificis manus excudit, tum corda tuendo
Poſtquam avida explêrat, verba expectata profudit.
NON Ego laude ſuper moveor, rerumve potente
Imperio; non eſt Paſtoris inire tumultus
Mavortis trepidos, ſævumque laceſſere bellum.
Non noſtrum eſt gravidum juſto libramine regnum
Moliri, & validas rerum moderanter habenas.
Hæc alias poſcunt vires; Te pectore toto,
Te ſequor, alma Venus, quin Tu, Dea, digna nitore
Dona Tuo accipias, & magnum rite ſecundes
Eventum, Tu, Diva, adſis, lentumque calorem
Inſpirans, faciles aditus, placidamque petenti
Des Helenam; jam nunc gratum obverſatur ad aures
Nomen, & inſolitâ pectus dulcedine tangit.
VIX hæc ediderat, cùm raptim Juno volucres
Ingreditur currus; paribus Tritonia curis
Addit ſe comitem, bigaſque aſcendit eaſdem.
Illæ animi victæ ſævo ſub pectore cædes

Fune-

Funereas, memoreſque iras, & bella volutant
Vaſtatura vias Aſiæ. Cytherea receptis
Interea exultat donis, riſuque protervo
Oſtentat, gaudetque tuens; Illam agmine circum
Se Charites feſto glomerant, & myrtea Serta
Victrici croceoſque parant intexere flores.

G. M. *Ædis Chr. Alumnus.*

Datur Mundorum Pluralitas.

UNDE labor novus hic menti? quæ cura quietam
Sollicitat, rapienſque extra confinia Terræ
Cœleſtes ſine more jubet volitare per Ignes?
Scilicet impatiens anguſto hoc orbe teneri,
Fontenelle, Tuos audax imitarier auſus
Geſtio, & inſolitas ſpirant præcordia flammas.
FALLOR, an Ipſe venit? delapſus ab æthere ſummo
Pegaſon urget eques, laterique flagellifer inſtat:
Me vocat; &, " duris deſiſte laboribus, inquit,
" Me duce, carpe viam facilem; tibi ſingula clarè
" Expediam, Tibi cernere erit, quos Sydera nôrunt,
" Indigenas, cultuſque virûm moreſque docebo.
Nec mora, Pennipedem conſcendo juſſus, ovanſque
(Quanquam animus ſecum volvens exempla priorum
Bellerophonteæ pallet diſpendia famæ)
Poſt Equitem ſedeo, liquidumque per aëra labor.
Mercurium petimus primum: Dux talibus inſit;
" Aſpicias vanæ maleſana negotia gentis,
" Quam mens deſtituit *Titane* exuſta propinquo.
" Stramineis, viden'? hic velatus tempora ſertis
" Emicat, & ſolos Reges crepat atque Tetrarchas.

" Ille

" Ille ſuam carbone *Chloen* depingit amator
" Infelix; ægram rudia indigeſtaque mentem
" Carmina demulcent, indoctaque tibia Muſas.
" En! ſedet incomptus crines barbataque menta
" Aſtrologus, nova qui venatur ſydera, ſolus
" Semper in obſcuro penetrali; multaque muros
" Linea nigrantes, ornantque Triangula multa.
" Ecce! — Sed interea curru flammante propinquat
" *Titan*. — clamo, " O! me gelidâ ſub rupe, ſub umbrâ
" Siſte, precor: tantos nequeo perferre calores.
Pegaſon inde Tuo Genius felicior aſtro
Appulit, alma *Venus*. Spirant quàm molliter auræ!
Ridet ager, frugum facilis, laſcivaque florum
Nutrix: non *Euri* ruit hìc per dulcia Tempe
Vis fera, non *Boreæ*; ſed blandior aura *Favoni*,
Lenis agens tremulo nutantes vertice ſylvas,
Uſque fovet teneros, quos uſque reſuſcitat, ignes.
Hìc lætis animata ſonis *Saltatio* vivit:
Hìc jam voce ciet cantum, jam pectine, dulces
Muſica docta modos: pulchræ longo ordine Nymphæ
Feſtivas ducunt choreas; dilecta Juventus
Certatim ſtipant comites: latè halat amomo
Omne nemus, varioque æterni veris odore:
Cura procul: circumvolitant *Riſuſque Jocique*:
Atque *Amor* eſt, quodcunque vides. *Venus* ipſa volentes
Imperio regit indigenas; hìc innuba *Phœbe*,
Innuba *Pallas* amet; cupiant ſervire *Catones*.
JAMQUE datum molimur iter; ſedeſque beatas
Multa gemens linquo: & lugubre rubentia *Martis*
Arva, ubi ſanguineæ dominantur in omnia *Rixæ*,
Advehimur: ferro riget horrida turba, geritque
Spiculaque gladioſque feroſque in bella dolones.

Hìc

Hìc conjux viduata viro longo effera luctu
Flet noctem, ſolumque torum ſterileſque hymenæos
Deplorans, lacerat crines, & pectora plangit:
Nequicquam — ſponſus ni fortè appareat, hoſpes
Heu! brevis, in ſomnis, & ludicra fallat imago.
Immemor ille tori interea ruit acer in hoſtem:
Horrendum ſtrepit armorum fragor undique campis;
Atque immortales durant in ſæcula pugnæ.

HINC *Jovis* immenſum delati accedimus Orbem.
Illic mille locis exercet ſæva tyrannus
Imperia in totidem ſervos, totidemque rebelles:
Sed brevis exercet: parat illi fata veneno
Perjurus, populoſque premit novus ipſe tyrannus.
Hi decies pacem figunt pretio atque refigunt:
Tum demum arma parant: longè latèque cohortes
Extenduntur agris; ſimul æquora tota teguntur
Claſſibus; & ficti celebrantur utrinque triumphi.
Fœdera mox ineunt nunquam violanda; brevique
Belli iterum ſimulachra cient; referuntur in altum
Claſſes, pacificoque replentur milite campi.
Filius hîc patri meditatur, ſponſa marito,
Servus hero inſidias. Has leges ſcilicet illis
Impoſuit Natura locis, quo tempore Patrem
Jupiter ipſe ſuum ſolio detruſit avito.
Inde venena viris, perjuria, munera, fraudes
Suadet opum ſitis, & regnandi dira cupido.

SATURNI tandem nos illætabilis ora
Accipit: ignavum pecus hîc per opaca locorum
Pingueſcunt de more, gravi torpentque veterno.
Vivitur in ſpecubus: quis enim tam ſedulus, arces
Qui ſtruat ingentes, operoſaque mœnia condat?
Idem omnes ſtupor altus habet, ſub pectore fixus.

Non

Non ſtudia ambitioſa *Jovis*, varioſve labores
Mercurii, non *Martis* opus, non *Cyprida* nôrunt.
Poſt obitum, ut perhibent, ſedes glomerantur in iſtas,
Qui longam nullas vitam excoluêre per artes;
Sed *Cerere* & *Baccho* pleni, ſomnoque ſepulti
Cunctarum duxêre æterna oblivia rerum.
Non avium auditur cantus, non murmur aquarum,
Mugituſve boum, aut pecorum balatus in agris:
Nudos non decorant ſegetes, non gramina, campos.
Sylva, uſquam ſi ſylva, latet ſub monte nivali,
Et canet viduata comis: hîc noctua tantùm
Gliſque habitat, bufoque, & cum teſtudine talpa.
Flumina dum tardè ſubterlabentia terras
Pigram undam volvunt, & ſola papavera paſcunt:
Quorum lentus odor, Lethæaque pocula ſomnos
Suadent perpetuos, circumfuſæque tenebræ.
HORRENDO viſu obſtupui: quin *Pegaſon* ipſum
Defecêre animi. Senſit Dux, terque flagello
Inſonuit clarùm, terque altâ voce morantem
Increpuit: Secat Ille cito pede lævia campi
Ætherei, Terræque ſecundâ allabitur aurâ.

Cantabr. in Comitiis prioribus 1740-1.

Dantur Spectra.

NON mihi Pierides, non ficti Numina Phœbi
Arrident ultrà: procul hinc mendacia Vatum;
Te ſequor, O QUARLI; Tua me, divine Poëta,
Mens agitet, propriiſque accendat pectora flammis:
Voſque, O Nutrices, pia turba, favete canenti:
Munera

Munera veſtra cano. Solas juvat ire per umbras,
Deſertaſque domos, & hianti fauce ſepulchra
Viſere, & horrificis nutantia templa ruinis.
EN! votis adſunt faciles: en! pallida Luna
Ignes emittit tremulos: per opaca feruntur
Gentes aëriæ —— quales ſub nocte vagari
Narrat anus, pueri dum arrectis auribus adſtant,
Infanteſque animos pertentat amabilis horror.
ECCE! immaturo pueri innuptæque puellæ
Correpti letho, per amica ſilentia Lunæ
Innocui ludunt, rurſuſque recentia rivis
Prata petunt, celebrantque choros, & carmina dicunt.
Hinc ſtupet innumero ſerventia rura popello
Ruſticus, & tremulo reſonantia flumina cantu:
Mane novo tenerâ multus viret orbis in herbâ,
Prodit & exiguæ veſtigia parvula gentis.
Illi abeunt, velut exorto jam Sole fugati ——
NAM tollit furiale caput, properatque citato
Fœmina dira gradu; torvè flammantia volvit
Lumina, feralemque facem rotat undique dextrâ.
Hæc per tædia longa ſuam triſtiſſima vitam
Totam expers thalami traxit: mentem acrior inde
Occupat invidia, & mordax petulantia, ſortiſque
Immortale odium, Veneris quæ dona negabat.
Nunc etiam inviſæ ſævum minitatur, ut olim,
Lætitiæ, & vultu gaudet terrere juventam.
SCILICET hîc Manes varios renovare labores
Ardent ſolliciti; ſupereſt mens conſcia, notas
Exercetque artes, vitæ memor uſque prioris.
HIC pugnæ ſimulachra cient fortiſſima quondam
Pectora: bellatoris equi calcaribus armos
En! ſodiunt, vibrantque haſtas, enſeſque coruſcant.

Hinc

Hinc sæpe aëriis noctem clarescere bellis
Cernimus attoniti; fulgentia nubibus ardent
Scuta virûm, galeæque, & castra minantia castris
Undique: terribili cœlum fremit omne tumultu.
MARLBURIUM tali monitus PARTRIGIUS olim
Omine victorem cecinit, fractisque Tyrannum
Viribus, & sparsos Gallorum sanguine campos.
Ipse etiam, augurium mihi si bona fata dedissent,
Facta celebrâssem Britonum, victriciaque arma
VERNONI, & proprio quæsitos marte triumphos.
AT, rabiem armorum fugiens, in valle reductâ
Egregias inhiat veneres defunctus Amator
Dilectæ quondam Nymphæ, totamque pererrat
Laminibus tacitis; necnon levia oscula tentat
Libare — infelix: nequicquam brachia tendit;
Amplexus levis aura negat, refugitque teneri.
INTEREA fugit ora Sophus minitantia sævæ
Xantippes, tandem impatiens, seque abdit in antris:
Ponè subit Conjux, & connubialia bella
Usque movet — Mulier non ipsâ in morte quiescit.
Jamque iterum studet ille animos mollire precando,
Horrisonæ metuens bene nota tonitrua linguæ.
SED voces aliæ, sonus & gratissimus aures
Allicit; Umbrarum surgit divinior ordo:
Agnosco Fratres — venit en! BLACKMORUS, & omnes
Sublimes animæ, quarum jam fama superstes
GRUBÆUM latè gestit volitare per orbem.
Hîc iterant cantus, hîc mira poëmata pangunt
Securæ; jam non opera interrumpit egestas
Dira, nec esuries, nec Creditor ore minaci:
Aspera jam Critici temnentes tela, suorum
Alternos inter plausus læta otia ducunt.

Huic,

Huic, COLLÆE, addas Te, præſtantiſſime Vatum,
Concilio; hîc iterum ſtudioſus dicere laudes
CÆSARIS, arguto pulſabis pollice chordas;
Hîc alter Muſæus eris. —— Jam multa morantem
Te Pater OGILVUS, Te dulci carmine pollens
QUARLIUS, altiſonique WITHERI nobilis umbra
Te vocat: ingenti fremitu Chorus adſonat omnis.
Ecce! vocatus adeſt. -- Viden'? ut caput improbus altè
Erigit, infernâ redimitus tempora lauro!
HIS quoque Me famæ magno inflammatus amore
Adjungo ſocium: agglomerant ſe dia Caterva
Undique, viſendi ſtudio, plauſuque ſecundo
Excipiunt, ſacro capiti nectuntque coronam.
O! quantus mihi creſcit honos! quæ gloria! --at omnis
Labitur, inviſam fugiens evanida lucem:
Chari abeunt Comites; ſolus miſer Ipſe relinquor.
SIC, ubi dat placido languentia membra ſopori
Impaſtus Corydon, & mens ſine pondere fictis
Ludit imaginibus; Tecum, clariſſime Prætor,
Solennes celebrans epulas fumantia mandit
Terga boum, & pleno lætus ſe proluit auro:
At, ſimul excutitur ſomno, tenuata recedit
Pompa; avido ſequitur fugientes lumine menſas,
Fallaceſque dapes, & ventrem luget inanem.

Cantabr. in Comitiis Poſterioribus, 1740-1.

FINIS.

26